The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

ZAFFIUS, R.

65942/A

U1

RUDOLPHI ZAFFII, M. D.
SYNOPSIS OBSERVATIONUM MEDICARUM,
DE SELECTIORUM MEDICAMENTORUM VIRIBUS.

In qua reperitur Hiſtoria & Curatio

ANGINÆ INFLAMMATORIÆ EPIDEMICÆ

Quæ graſſantis Annis 1745. *&* 1746. *nunquam Obſervatæ*

Accedunt

OBSERVATIONES MEDICÆ PHILIPPI LUD. DE PRESSEUX,

De Aquis Spadanis.

N·MEDIC
OCIETY OF L

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CORNELIUM DE PECKER, 1751.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMISQUE

CURIÆ-RHÆTORUM SENATORIBUS

RUDOLPHUS ZAFFIUS

PERPETUAM FELICITATEM.

Tanta ſemper fuit, *Illuſtriſſimi Senatores*, Veſtrorum erga meos Parentes beneficiorum magnitudo, ut Horum dulciſſima recordatione fuiſſem memet oblectatus, ſi dudum optatiſſima obveniſſet occaſio, quâ, *Vobis* grati animi ſenſa exprimere valuiſſem. Tandem cum exiguum hunc ingenii fœtum, Verſionemque noſtram de Aquis Spadanis in publicum emittere vellem; extemplo, *Nobiliſſimi Senatores*, mihi in mentem occurriſtis, *Quibus* præſen-

tem laboris mei fructum devotiſſimè conſecrarem. Interim, *Ampliſſimi Senatores*, æqui bonique conſulatis, quod Opuſcula hæcce Veſtris inſcripſerit Nominibus Batavus qui tamen Veſtro Præſidio & Favore, Civitati Curienſi adſcriptus: quique cum tribus Profeſſoribus, qui ſub Veſtris claruerunt Nomine eſt junctus & Sanguine.

Accipiatis igitur, *Sapientiſſimi Senatores*, illud teſtimonium, tanquam perpetuum integræ erga *Vos* reverentiæ meæ monumentum. *Deum Optimum Maximum* precor, ut *Vos*, & Reipublicæ Veſtræ feliciſſimæ perpetuis annis tüeatur incolumes & fortunatos.

Dalhemi Batavorum primo die Anni 1751.

LECTORI

LECTORI AUCTOR.

Ad condendum hoc Opuſculum nihil magis curæ cordique habui, quam ut pauca ſimpliciſſima, tutiſſima remedia, & quorum efficacia longiori uſu & experientia fuit probata, ſpecioſis prætulerim compoſitionibus. Etenim, (ut cum *Frederico Hoffmanno* loquar), Medicus ſuarum rerum fatagens, ad ſanandos omnis generis affectus, non opus habet magna & multiplici remediorum farragine, vel medicamentis validioribus, vel magno & labore, & pretio conquiſitis. Non igitur ad Aurum, vel Gemmas, confugiendum: Laudatiſſimum audiamus

Ludovicum Duretum (1). *Aurum diſſolvi non poteſt, niſi mixtione aquarum chymicarum, quæ ſunt a natura hominum alienæ.* Et alibi (2). *Nihil magis abſurdum eſſe poteſt, quam putare ad Pleuritidis curationem aurum convenire, cum nihil æque calori & ſpiritibus contrarium ſit.* Et poſtea (3). *Bracteolæ auri & pulviſculus auri mitificari non poſſunt a natura noſtra, quia ei non ſunt* ἀνάλογα *parti, uti nec calori nativo. Aurum explodi debet a commeatu humano, quia vitæ particeps non eſt, nec ullam habet vitæ proportionem. Graviſſimum eſt & Ventriculo negotium faceſſit. Nam non eſt aurum* εὐπρόσφυλο, *ſed naturæ bellum indixit.* Et Præſtantiſſimus ille Commentator (4). *Itaque*

(1) in *Holler.* pag. 58. (2) p. 195. (3) p. 225. (4) in Coac. Hippocr.

taque, ait, *ſuperſtitio eſt vel oſtentatio celebrare aurum, ſi diis placet potabile, cœteraque chymica ebrioſi illius fanaticique athei Paracelſi, quorum jam pridem exploſa eſt commendatio e ſchola Hippocratis, exulatque apud hypocritas medicos & veteratores, quos nulla res præter verſutam quandam hypocriſin commendare poteſt, & quorum vanitas ambagibus tantum ſolertiſſima eſſe ſolet. Quod*, inquit alibi (5) *ad margaritas & gemmas attinet, eas præſcribunt ad ſplendorem & illuſtrationem ſpirituum, quia ipſæ multum ſplendent, non earum pulvis, quo tamen utimur. Hoc igitur remedium opinione duce potius, quam judicante ratione inventum videtur.*

Porro

(5) in Holler. p. 195.

Porro omni ſtudio demonſtrare anniſus ſum, ut corporum vires in Phyſicis, ita Pharmacorum virtutes in Medicis non dari abſolutas, ſed omnes eſſe relativas. Quam philoſophicam præſtantiſſimi uſus in Praxi Medica regulam alta mente repoſitam frequentiſſimis ſuis Auditoribus ſemper optavit Candidiſſimus noſter Profeſſor Boerhaavius. Teſtes ſint Summi hujus Viri Libri, omnibus numeris abſolutiſſimi, & de Medicina Clinica publica Prælectio (6). Non immeritò igitur inter rudem infelicemque Medicum eſt referendus, qui, antequam de præſcribendis meditetur formulis, ad tot Individuos nunquam reſpicit, ratione ætatis, ſexus, nativitatis, hereditariæ diſpoſitionis, conſue-

(6) habita A. 1737.

ſuetudinis, vitæ & victus generis, ſenſibilitatis, valetudinis perpeſſæ, differentes. Quem periclitatorem naturaliter depinxiſſe, & ab erudito & dogmatico Medico diſtinxiſſe, mihi videtur *Riolanus* (7). „ At medicina eſt
„ ars, *ait*, ſervandæ & reſtituendæ
„ ſanitatis, præſentem quippe ſervat &
„ abſentem reducit: Itaque certum eſt,
„ quantum erat olim ſtudium ſanitatis,
„ tanto in honore fuiſſe medicinam.
„ Sed enim ſi quis hoſtem civitatis in-
„ terfeciſſet, commendabatur enco-
„ mio publico, erantque Romano-
„ rum, ut Athenienſium, legibus,
„ tyrannicidis ſtatuta præmia: At-
„ qui morbus eſt ſummus & capitalis
„ hoſtis civitatis, isque non externus,
„ ſed civilis, nec civilis modo, ſed
do-

(7) in Epiſtol. Arti Medendi præfixa.

,, domeſticus, quem omnes cujuſcun-
,, que ſint ſexus, ſortis, & ætatis,
,, naturâ duce refugiunt: non eſt mon-
,, ſtrum immanius, non crudelior ty-
,, rannus, nullus denique noſtræ vitæ
,, capitalior inimicus. Ergo ſi quis
,, Hercules invictum hoc genus mon-
,, ſtri doceat arte ſuperare, ſi Apollo
,, aut Æſculapius aliquis ſeſe offerat,
,, qui juratum hoſtem humanæ natu-
,, ræ & veſtræ civitatis crudeliſſimum
,, tyrannum recipiat jugulandum, non-
,, ne vobis erit ἀλεξίκακος & tutela-
,, ris Deus? At Medicus ipſo etiam
,, nomine eſt morbicida; non fumi-
,, vendulus chymiſta, qui ſuo ſtibio
,, morbos deploratas ſuſcipit ſanan-
,, dos: non circumforaneus circula-
,, tor, qui vanis pollicitationibus ple-
,, beculam miſerè ludificat, & impo-
,, ſturis muliercularum loculos exhau-

rit;

„ rit: non ambitioſus chirurgus, qui
„ ſola operatione animoſus, medici
„ titulo inſoleſcit, ac ſi interiores af-
„ fectus ſenſu cognoſcantur, & ma-
„ nus opera curentur: non futilis ſe-
„ plaſiarius, qui nulla temperamenti,
„ ætatis, ſexus, nulla conſuetudinis
„ & habitus corporis, nulla temporis
„ habita ratione, remedium quod uni
„ & alteri profuit, quaſi omnium ho-
„ minum una & eadem ſit natura, ad
„ quosvis promiſcuè accommodat,
„ unoque calopodio, ut eſt in prover-
„ bio, omnes calceat."

Obſervationes partim experitiſſimorum Medicorum, partim ex propria deprompſi experientia. Huic *Synopſi* Verſionem primam Obſervationum Medicarum de *Aquis Spadanis* adjunxi. Has Auctor Gallicè conſcripſerat; (8) quæ paucis diebus poſt ejus obi-

(8) Leodii 1746. in Octavo.

obitum editæ ſunt ; ab omnibus per celebrata ſunt Medicis. In gratiam Peregrinorum Caſus hos compoſuerat. mihique dicaverat.

En catalogus Auctorum unde plurima me excerpſiſſe cum animi confiteor candore.

Bartholinus (Th.) Centuriæ, in 8°.

Boerhaave (Herm.) Opera omnia.

Bonetus (Theoph.) Sepulchretum Anatomicum, 1700. in fol.

NB. Indicem Alphabeticum, locupletiſſimum, & accuratiſſimum, quo deſtituitur egregius ille Nobiliſſimi *Boneti* Liber, compoſui, qui ſub Anni ſequentis principium, Favente SUMMO NUMINE, paratus erit, ut typis mandetur. Propterea Rempublicam Medicam commonefacio, ut, antequam in publicum publici boni cauſa emittatur hoc perarduum Opus,

Sciam,

Sciam, an æque ab omnibus, quibus curæ Medicina, quam a me expetatur.

Chrouët (W.) La Connoiſſance des Eaux Minerales d'Aix-la-Chapelle, de Chaud-fontaine, & de Spa par leurs veritables principes 1729. in 8°.

Degnerus (Hartm.) Hiſtoria Medica de Dyſenteria Blilioſa-Contagioſa & 1738. in 8°.

Duretus (Ludov.) Interpretationes & Enarrationes in Coac. Hippocratis &c. curante Adriano Perelin-Chrouët M. D., qui & præfationem adjecit. Nova Edit. in Fol.

Gorter (De) De Geſuiverde Heelkonſt, in 8°.

Harris. De Morbis Infantum. Lond. ed. in 8°.

Heers (H. ab) Spadacrene ou Diſſer-

ſertation Phyſique ſur les Eaux de Spa, revuë, corrigée, & augmentée de Notes Hiſtoriques & Critiques par Mr. Chrouët, Dr. en Medicine, 1739. in 8°.

Hoffmannus (Fred.) Opera omnia.

Hollerus cum Notis Lud. Dureti, in 4°.

Riolanus (Joh.) Ars bene Medendi, Pariſ. 1616. in 8°.

Simſon de Re Medica, in 8°.

Swieten (Ger. van) Commentar. in Aphoriſmos Herm. Boerhaave &c. Tom. 1. & 2. Edit. Leid. in 4°.

Sydenhamus (Th.) Opera omnia, in 8°.

SYNOPSIS OBSERVATIONUM MEDICARUM, DE SELECTIORUM MEDICAMENTORUM VIRIBUS.

A.

Abſinthium calefacit, in morbis frigidis, pituitoſis, ubi bilis enervatur, convenit: & in hydrope, qui *ſolus curatur*, (ut ait *Ludov. Duretus*), *qui fit integris viſceribus.*

Simulac talia hoc in caſu uſurpantur, abſtinendum a catharticis, quia hæc illorum deſtruerent vim (ut rectè *Sydenhamus*).

Abſinthiaca iisdem pollent virtutibus. Novi hiſce in oris ſalem *Abſinthii* & ſimilia in Febribus Continuis Epidemicis heterogenea creaviſſe ſymptomata, quæ, (ut cum Prudentiſſimo *Sydenhamo* loquar), *non tam morbo, quam Medico debentur.* Sapienter igitur *Herophilus* morborum remedia ſi ab indoctis medicis uſurpantur, venena; ſi verò à doctis, & exercitatis deorum auxiliares manus appellavit. Ne ad tædium usque ſemper repetam, (ut ſæpe in hiſce fit libris), en catalogus omnium vegetabilium calefacientium, quæ veluti *Abſinthium* in hydrope dari poſſunt. *Ageratum*, *Alliaria*, *Allium*, *Armoracia*, *Acorus*, *Angelica*, *Carduus benedictus*, *Centaurium minus*, *Cochlearia*, *Chamædrys*, *Chamæpitys*, *Eryſimum*, *Eupatorium*, *Galanga*, *ſummitates Geniſtæ*, *Gentiana*, *Helenium*, *Imperatoria*, *Iris Florentina*, *Leviſticum*, *Marrhubium*, *Naſturtia*, *Raphanus ruſticanus*, *Serpentaria Virginiana*,

Ta-

Tanacetum, *Thymus*, *Serpillum*, *Zinziber*, *Zedoaria*; *Semina Aniſi*, *Carui*, *Fœniculi*, *Santonici*, *Baccæ Juniperi*, *Lauri*, *Flavedo Corticum Aurantiorum*, *Citri*; *Plantæ cephalicæ* dictæ.

Acetoſa pratenſis, cujus radicis decoctum refrigerat, & in affectibus Acutis, & Febribus Continuis laudatur. Serum lactis cum Acetoſæ foliis decoctum ſæpe Narium ſanavit Hæmorrhagiam. *Syrupus Acetoſæ* a Tralliano & Montano commendatur in hydrope, ubi humores corrupti ſunt, cui nocerent *Abſinthium* & ſimilia.

Aloë & *Aloëtica* calefaciunt, propterea in ſolis morbis frigidis, pituitoſis humidisque, conveniunt. Nocent ſummoperè plethoricis, calidis, ſiccis, atrabilariis, & hæmorrhagiæ obnoxiis. Pilulæ ex Aloë, Trochiſcis de *Myrrha*, *millepedibus*, *Gummi Ammoniaco*, *Sagapeno*, ſimilibusve, cum *Sapone Veneto* in obſtructionibus pituitoſis, frigidis viſcerum abdominalium, efficaces valde ſunt, ſed nulla ſupereſt medela, ſi hæc ſcirrhoſa, vel corrupta ſunt. Tuſſis,

vertigo, Colica a pituitoſis ſordibus ortæ in primis viis, curantur *Pilulis Ruffi* cum *Sapone Veneto* maritatis.

Althæa, cujus radicis decoctum exaltatur ad expectorationem facilitandam in morbis Pectoris inflammatoriis poſt V. S.; quæ omittitur, Natura monſtrante viam. *Vetus quorumdam opinio eſt* (ait *Ludov. Duretus*), *nullum dolorem lateris, niſi unico phlebotomiæ alexiterio poſſe ſanari. Ac ſanè operæ pretium eſt nugarum audire garrulitatem, quarum ambagibus ipſorum vanitas ſolertiſſima eſt apud vulgus, omnique potior veritate.* Et paulo poſt. *Ergo in tali pleuritide per ſe ſanabili a phlebotomia periculum eſt ob impeditam anacatharſin, quae libertate ſpuendi & liberalitate votis naturæ & medici reſpondebat; ut taceam lateris infirmitatem, quam infert repetita carnificum phlebotomia, quamdiu pleuriticus liberali & libera fruitur expurgatione ſputi ſanguine pauco permixti* (*a*). Decoctum hujus in demulcenda tuſſi

(*a*) In Coac. Hipp. in Coroll. Cautio Phlebotom.

tuſſi peripneumoniæ nothæ adhibetur: Folia & Flores easdem vires habent. Ex his & ſimilibus emollientia enemata conficiuntur, contra delirium Febrium & Morborum Acutorum ab alvo dura oriundum, a quibus abſtinendum in declinatione, præprimis in hypochondriacis & hyſtericis, teſte *Sydenhamo.*

Syrupus Althææ Fernelii pectoralis & diureticus eſt.

Ammoniacus Sal attenuat craſſam inertemque pituitam. Hic (*b*) non adeo eſt efficax contra Intermittentes Febres, ut vulgo putatur. Robuſtioribus tantum convenit. Pulvis *Tabaci* (*Gallis Rapé*) hoc ſale a quibusdam adulteratur mercatoribus, ut nares magis vellicet, unde vertigines ortas novi.

Amygdalæ dulces, quibuscum Emulſio fit, quæ magis refrigerat, additis ſeminibus Cucumeris, ſimilibusve. Harum Emulſio pectoris, urinæ, draſticorumque catharticorum demulcet acrimoniam. Oleum ejus re-

(*b*) Republique des Lettres. Sept. & Octob. 1733.

recens cum Syrupo *Althææ* ſimilibusve eſt egregium expectorans. Dulcia talia pectoralia vana ſunt in Tuſſi, quæ Hydropis ſupervenit incremento, quæ bronchialia vaſa Aquâ obrui ſignificat: lethale ſymptoma hoc eſſe *Hippocrates & Oribaſius* pronuntiarunt. Quæ non adeo eſt periculoſa in eodem morbo ab alia cauſa oriunda. Hoc *Oleum* recens Colicam demulcet, & ſummoperè proficuum eſt in hac & in Ileo, cum inteſtinorum prævidetur gangræna; & in Colica nephritica tam intus, quam enematis forma. Oleum dulce *Olivarum*, *Raparum*, *Lini* hujus defectum ſupplere poteſt. Pruritus, corruptioque increſcunt, cum Variolæ Confluentes Oleo *Amygdalarum dulcium* recenti illiniuntur. Variolas lardo inunctas, pulchritudinis faciei gratiâ, funeſtè repulſas fuiſſe, narratur (*c*).

Angelica v. *Abſinthium*.

Aniſum, *Caruum*, & *Fœniculum*, ſunt ſemina calefacientia, carminativa, & diuretica v. *Abſinthium*.

Aſa

(*c*) A. N. C. D. & A. 3. O. 43.

Aſa fœtida, *Caſtoreum*, *Sagapenum*, *Galbanum* ſimiliave graveolentia in menſium ſuppreſſione morboſa conveniunt ab inertibus, pituitoſisque humoribus tantùm orta. Cum his fiunt Pilulæ, quibus *Sapo Venetus* ſociatur. *Crocata*, *Juniperina*, *Myrrhata*, *Succinata*, *Artemiſia*, *Baccæ Lauri*, Flores *Chamæmeli*, *Matricaria*, *Rosmarinus*, *Ruta*, *Sabina*, ejusque *Oleum*, iisdem gaudent viribus. *Sambuci* flores leniter menſes promovent. Hæ calefacientes *Pilulæ* Hyſtericis pituitoſis tantùm proſunt. His nocent, ſi menſium obnoxiæ ſunt exceſſui. Cane pejus & angue fugiantur, ſi Hyſterica paſſio ſanguinis fluorem conſecuta eſt Uterinum. Quandoque hæ Pilulæ, præ *gummi, quæ inſunt, ventrem earum, quæ facillime purgantur,* movent, tum ſubſequentes, conſtantes nimir. *Caſtoreo*, *Sale ſuccini volatili*, & *extracto Rutæ*, eſſe ſubſtituendas ſuadet Præſtantiſſimus *Sydenhamus*, qui etiam obſervavit, *nonnullas fœminas Idioſyncraſia quadam ab Hyſtericis illis medicamentis penitus* ab-

abhorrere. In his itaque omnino eſſe omittenda iſta inculcat (*d*). *Aſam fœtidam* nervos valde debilitare monet *Fred. Hoffmannus*, propterea Hyſtericis obeſt, quarum nervoſum ſyſtema potius confortandum eſt. Cum hac fiunt *pilulæ* anthelminticæ, odorem ejus abhorrent vermes.

B.

Becabunga in ſcorbuto laudatur. Multos ſcorbuto detentos, teſte *Martini*, durante curationis tempore, parum vel modicum tantum ſentiunt emolumenti; dimiſſis vero medicis, & medicamentis, ſanantur: natura enim ex medela debilis reddita, recuperatis poſt curationem viribus, ad morbum vincendum magis valet v. *Fred. Hoffmannum.*

Betonica eſt etiam antiſcorbutica & *Agrimonia*, *Veronica* &c. Cum *Betonica*, & radice *Conſolidæ majoris*, ſimiliumve fit decoctum traumaticum, in recenti *Hæmoptyſi*

(*d*) Diſſ. Epiſt. ad G. Cole.

moptyſi conveniens, ſed, præmiſſa V. S., ut Tabes inde oriunda teſte *Hippocrate*, præcaveatur. Radix *Biſtortæ*, *Argentina*, *Lingua cervina*, *Millefolium*, *Pyrola*, *Piloſella*, *Oxylapathum*, *Plantago*, *ſanicula*, & ſimilia vulneraria hoc in caſu poſſunt uſurpari. De *Adſtringentium* præpoſtero uſu v. *Opium*.

C.

Cancrorum lapides ſive *oculi* ſi genuini ſunt, acidum abſorbent, dicuntur *Antifebriles* & *Antiſpasmodici*, qui revera tales ſunt, ſi febris, vel convulſio ab acido tantûm generantur. *Margaritæ*, *Mater Perlarum* iisdem gaudent viribus: non autem efficaciores ſunt his, vel *Cancrorum* teſtis, & ſimilibus terreſtribus.

Cantharides forma emplaſtri cruribus applicantur contra delirium Febrium Continuarum, ſed præmiſſis diluentibus, & refrigerantibus potibus, & clyſteribus emollientibus, ſi alvus eſt adſtricta. In Phreni-

nitide poſt V. S. locum obtinent & in Apoplexia plethorica. Proſunt temperamento humido, frigido, pituitoſo, & in fluxionibus feroſis frigidis nuchæ applicantur.

Capitis contumax dolor, curatur veſicis excitatis veſicatoriis, totum caput, deraſo capillitio, inſtar cucuphæ, contegentibus (*e*).

Nocent maximopere Veſicatoria, imo enemata, teſte *Galeno*, & peritiſſimis Practicis, in critico delirio: hocque in caſu, ut in omni criſi, ſtrictè *Celſo* eſt auſcultandum. *Optima*, ait, *interdum medicina eſt medicamento non uti. Bellini* igitur conſilium eſt rejiciendum. *In die critico*, inquit, *ſanguinem mittere non licebit ſolum, verum omnino neceſſarium.* Veſicatoria obſunt in Apoplexia atrabilaria, & in Acutis morbis, ſi viſcera ſunt inflammata. Gangrænam ſæpe numero invitare hæc cruribus, vel tibiis œdematoſis ſuperimpoſita mo-

(*e*) River. Ob. 37. c. 1. & Bonet. l. 1. p. 19.

monet *Sydenhamus* (*f*) Veſicatoria novi applicata ſub menſium fluxu mortem produxiſſe: Cantharidum internus uſus ab Antiquioribus & hodiernis Medicis prudentiſſimis interdicitur, ob funeſtiſſima, quæ inde ſubſequuntur, ſymptomata.

Carduus benedictus v. Abſinthium.

Caſcarilla eſt cortex calefaciens, aromaticus, & ſtomachicus. Fruſtulum cum *Nicotiana* uſurpatum in fiſtulis tabacariis facit ſuaveolentem, parùm moſchum referentem, fumum, nec non hyſtericis quibusdam valde mobilibus moleſtum. Cum Spiritu Vini extrahitur Tinctura roborans, quæ egregia eſt in Dyſenteria, ubi indicatio eſt Ventriculum & Inteſtina tantùm corroborare.

Caſſia v. *Manna*.

Caſtoreum v. *Aſa fœtida*.

Centaurium minus, *Chamædrys*, *Chamæpitys* v. *Abſinthium*.

China Chinæ humores nimis tenues inſpiſſat, ſolidaque roborat: quapropter *Britannis*

(*f*) De Hydrope.

tannis ad ſudandum maxime proclivibus, dum Febre Intermittente laborant, præſtantiſſimum eſt hoc *Specificum*, qui diluentibus, & attenuantibus nunquam ſanarentur.

Recidivam minus patiuntur febricitantes, ſalibus curati neutris, quam hoc Febrifugo. Urgente autem neceſſitate ad hoc recurrendum eſt; v. c. ſi Febrem autumnalem Intermittentem diuturnam fore prævides, cave ne altas nimis agat radices. Hoc autem neglecto, humores magis magisque attenuantur, tandemque fit Hydrops. Talis ergo Febris ſuffocanda eſt hoc Specifico: Interim utatur per totam hyemem Vino, vel Cereviſia Medicata cum *Abſinthio*, *Centaurio minore*, *Carduo benedicto*, ſimilibusque amaris ſanguinem depurantibus, ne materies febrilis, cruda, fortè (ut fere ſemper fit) intra corpus retenta obſtructiones in viſceribus abdominalibus creet, & dirum pariat poſtea hydropem.

Ante aliquot annos in *Hollandia* graſſabatur Febris Autumnalis Intermittens, Conti-

ti-

tinuam mentiens. Omnes ferè inde moriebantur, donec tandem prudentiores pauci Medici parvam detexerint apurexiam: quam occaſionem nacti præcipitem, Corticem Peruvianum tanto cum emolumento propinarunt, ut omnes poſtea convaluerint.

Ante ejus uſum primæ viæ rectè repurgandæ ſunt. Hoc enim ſemel aſſumpto, omnia purgantia, laxantia, imo enemata vetantur. Eò magis ſub ejus uſu hoc obſervandum ſtrictè eſt. Quandoque Cortex ille alvum adeo adſtringit, ut anxietates non ferendæ oriantur. Quid igitur faciendum? *Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.* Vidi enim talem caſum, &, quod accidere dixeram, contigit. Alvus levi infuſo foliorum *Sennæ* laxabatur, ſed ilico in recidivam incidit æger, quam ſuperavit ſequenti Apurexia Corticis hujus conveniens doſis, unde denuo alvus dura cum ſubſequente Pectoris anguſtia, quæ emolliebatur tandem Suppoſitorio cum proſpero eventu: etenim debellabatur anxietas, eradi-

dicabatur febris; quod ſuppoſitorium ſub Corticis Uſu ſecundum neceſſitatem repetebatur.

Si Cortex hic violenter expurgat, ut quandoque fit, Laudanum ſuadet *Sydenhamus.*

Tabes, Icterus, Hydrops, & infinita alia mala non minus funeſta producuntur ab hujus Febrifugi intempeſtivo uſu, ut, proh dolor! ſatis innoteſcit.

Menſium ſuppreſſio ab ejus præpoſtero uſu, nimirum ſub horum fluxu (*g*).

Corticem hunc vetat *Sydenhamus* contra Febres Epidemicas Continuas. Medicus Batavus, *Boerhaevianus*, celeberrimus, mihi in *Hollandia* retulit, ſe duos Senes ab Orci faucibus eripuiſſe hoc Febrifugo exhibito, nimirum Febre Continuâ maxime declinante. Præviderat Prudentiſſimus ille Practicus, hos binos decrepitos ſenes ante Febris totalem finem ſuccubituros, ob vires penitus exhauſtas.

Chi-

(*g*) Fred. Hoffmann. Conſult. & Reſp. Med. t. 2. l. 3.

China, cujus radix decocta cum *Sarſaſaparilla* diaphoreſin blande promovet, & acrimoniam demulcet, convenit in ſcabie, ſimilibusque ſeroſis cutaneis morbis, repurgatis ante primis viis, de his recte ſcripſit *de Gorter*.

Hæc methodus præferenda eſt illi, quâ per unguenta adſtringentia externa hi tractantur, quibus repulſis infiniti morbi fatales oriuntur. Celeberrimus Boerhaevius ex centum aſthmaticis ab incunabulis factis, nonaginta novem dicit tales evaſiſſe ab Herpetibus repulſis; fœdatos pueros Herpetibus, ſaniores poſtea fuiſſe obſervatum eſt.

Cichoreum Sylveſtre v. *Scorzonera*.

Cochlearia calefacit, & in ſcorbuto frigido convenit. Nocet in acrimonia alcalina, vel muriatica, ubi fructus horæi, quales ſunt Ceraſa, Ribeſia, Mori, valde proſunt, & Poma Aurantia, & Citrea.

Febris Tertiana, Quartana, Icterus, Hydrops, aliique Chronici morbi, ſi cum Scorbuto complicantur, non ſanantur, niſi

ſi convenientibus medicamentis antiſcorbutica, teſte *Sennerto*, addantur. Lethalis hæmorrhagia a Cochleariæ ſucci libra v. *Boerhaevium.*

Colocynthis eſt draſticum catharticum, dyſenteriam excitans. Radix *Bryoniæ*, *Eſulæ*, *Iridis noſtratis*, *Soldanella*, *Elaterium*, *Euphorbium*, *Gummi Guttæ* deleteria virulenta vocantur.

A ſemidrachma gummi Guttæ hydrops cum valido adeo vomitu, & purgatione, ut animi deliquia lethalia ſecuta ſint (*b*).

Conſolida major v. *Betonica.*

Contrajerva: hæc radix calefacit, & contra Febres Intermittentes legitimas laudatur. Sed cautè agendum: His enim tales Febres duplicari, vel in Continuas permutari, declarat *Sydenhamus* (*i*). Talia prohibentur longè magis in Febribus Intermittentibus Epidemicis autumnalibus, quæ *in initio per omnia Continuas imitantur*, quas optime ſagaciſſimus hic Medicus depinxit (*k*). Pri-

(*b*) M. C. D. 1. A. 8. O. 62. (*i*) S. 1. C. 5.
(*k*) S. 1. C. 2.

Primis viis a ſordibus rectiſſime purgatis, probè debellantur Febres lentæ, ſymptomaticæ, pulviſculis bis terve de die aſſumtis, & parum contrayervæ, Salibus Polycreſto, & Prunellæ, lapide cancrorum genuino, & millepedibus conſtantibus, ut lentor febrilis, viſcidus e ſanguine expellatur, qui pravo victu poſt curationem, vel a præpoſtera febris ſanatione fit.

Cornu Cervi, cujus decoctum, & *gelatina* in morbis a ſolo acido oriundis uſurpantur. *Gelatina* excoriatas partes Aphtharum caſu demulcet. *Spiritus*, & *ſal volatile* ejus propinantur ad ſpiritus vappidos in Apoplexia refocillandos. *Antiſpasmodici* & *Antihyſterici* ſunt, & dicuntur, ſed relativè tantum ad ſpasmorum cauſam frigidam & temperiem frigidam, pituitoſam ſexus ſequioris.

Crocus calefacit, ſudorem excitat, & urinam ciet, quietemque conciliat. Hic & ſimilia, & victus calefaciens nocent magnopere in Variolis, & Morbillis, quibus vulgus utitur, ut harum eruptionem promoveat. Variolæ quaſi in Anthraces

& Sphacelum mutatæ aëre nimis calido (*l*). Variolæ intropulſæ nimis frigido aëre, & lethales, quia viſcera affecerunt. (*m*). Abuſus refrigerantium æque noxius eſt: teſtatur enim *Bohnius* periculoſos Morbillos repulſos fuiſſe nimio Pomorum Aurantiorum eſu (*n*).

F.

Fel Tauri, *Anguillæ*, *Lucii Piſcis*, & *Sapo Venetus* in morbis pituitoſis, vel ab acido ortis conveniunt. Bilem clyſterem naturalem vocat *Avicenna*.

Fœniculum. Decoctum radicum Fœniculi, *Eryngii*, *Bardanæ*, *Graminis*, *Glycirrhizæ*, *Petroſelini* in morbis Pectoris inflammatoriis poſt V. S. potius convenit, quam *Aſparagi*, & *Ruſci*, quæ magis calefaciunt in obſtructionibus Renum, & in affectibus cutaneis ſeroſis, in quibus decoctum quinque radicum aperientium majorum quoque uſurpatur.

Fu-

(*l*) A. N. C. D. 3. O. 176. (*m*) Id. ibid. A. 7. O. 97. (*n*) Lib. d. Offic. duplic. Med. p. 1. c. 2.

Fumaria, ſuccus ex recenti Fumaria, Gramine, Chærefolio, expreſſus, exque *Taraxaco*, ſimilibusque tempore verno, vel æſtivo, additis Salibus Polychreſto vel Prunellæ curat morbos atrabilarios. Solo *Cichorei* ſucco recenti cum ſalibus prædictis curavi Icterum recentem, ortum a febre Tertiana Vernali intempeſtivo Corticis Peruviani uſu ſuffocata, lenem diarrhecam excitando; rediit Febris ab alio Medico malè ſuppreſſa, quam, ut ſolebam, ſalibus neutris abſtuli.

G.

Galanga. v. *Abſinthium.*

Galbanum v. *Aſa fœtida.*

Gemmæ ſal attenuat. Semiuncia hujus ſalis, vel ſalis *Ammoniaci*, vel *marini*, validius operatur in enemate, quam plures *Electuarii Diaphœnici*, vel *Benedicti laxativi* unciæ.

Gentiana v. *Abſinthium.*

Glycirrhiza, radix & ſuccus inſpiſſatus

 in

in morbis pectoris calidis, & in affectibus Renum & Veſicæ proſunt. Horum abuſu deletur appetitus.

Gramen v. *Fœniculum*, & *Fumaria*. Radix diuretica eſt, & in Ictero Chronico laudatur. Decoctum herbæ viridis *Graminis* præſcripſi Virgini 48. annorum abhinc ſexennium Ictero laboranti *Lugduni* in Batavis. Hæc omni trimeſtri violentiſſimo corripiebatur paroxysmo: antequam bilis fædaret corporis circumferentiam, moleſtabatur nauſea continua, præcordiorum anxietate, ſiti immani: alvus erat duriſſima. Acceſſum icteritium pro tempore ſedaverant Medici peritiſſimi. Hauſtum mannatum ab his feliciter uſurpatum ſuaſi, ſecundumque indicationem repetebam cum proſpero eventu. A menſe Majo ad finem fere Octobris decoctum prædictum pro potu ordinario adhibuit, cui ſuccum acidulum Ribeſiorum pro guſtu addiderat, convenienti diæta utebatur. Hoc ſimplex remedium adeo huic pauperi profuit, ut per ſeſqui annum ab ejus paroxysmis plane

fue-

fuerit immunis. effectus exerebat hoc decoctum per urinæ vias. Anno autem ſequenti mihi auſcultare noluit, morbum penitus ſublatum eſſe ſibi falsò perſuadebat, hinc appetitui indulgendo, medicamenta renuendo recidivam patiebatur, & paucis diebus ante mortem alvus antea ſemper ſummoperè adſtricta, valde lubrica fuit.

Graminis vires continet *Lac dulce* verè Antiphthiſicum, ſi non nimis ſerò paratur medicina: expertum eſt nimirum in *principio Phthiſeos ſanare poſſe ejus continuatam potionem, antequam ulcera augeantur, & calloſa evadant* (o). *Hippocrates, Galenus* idem in hoc morbo commendant, & *Aretæus* phthiſicos, *ſi multum lactis potent, nullo alio egere auxilio*, ait: Lac dulce cum rubris Limacibus aliquot decoctum, dein colatum, calideque epotum commendatum fuit a peritiſſimo Medico Batavo, Illuſtriſſimo in Republica noſtra Viro: quomodo Phthiſis in-

(o) v. Pr. Alpin. & Celſum.

incipiens cum legitimo victu penitus ſuperata fuit. Quamvis omne lac phthiſicis & tabidis ſalutare ſit: *aſininum* tamen reliquis omnibus palmam præripit (*p*) & *Trallianus* in difficili reſpiratione commendat, & lac in hæmoptyſi. *Omnes hæmoptyci*, ait, *lacte utantur. Neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quippiam, adeo accommodum ipſis aut utile, quam lac: & qui per initia ſolo ipſo conſtanter, longiori tempore uſi ſunt, omnes in totum conſanuerunt.* Porro addit: *novi quendam; qui cum toto anno lac bibiſſet & comediſſet & a vino abſtinuiſſet, ab hæmoptyſi & puris ſputo liberatus fuit, ut nec poſtea in phthiſin inciderit.*

Wepferus (*q*) lac exaltat. *Certè divini aliquid in lacte*, inquit, *latet. Ante hac nunquam crediaiſſem, niſi id ſenſibus comperiſſem. Vidi his meis oculis, quaſi novos homines inde factos fuiſſe. Nam legitimo ejus uſu, habitum firmiorem, colorem nitidiorem & vires robu-*

(*p*) v. Fred. Hoffm. Opuſc. Med. Pr. (*q*) In epiſtola ad Yerzaſcham.

buſtiores plurimi acquiſiverunt. Et *Eugalenus: Vidi frequenter cum lætiore colore a morbo ſurrexiſſe, qui lacte & lacticiniis in ſcorbuto uſi fuerunt, quam qui ex medicorum præſcriptis vixerunt* (*r*). *Hydrogala* in morbis acutis laudatur. *Serum lactis* demulcet acrimoniam alcalinam. *Agreſtes Friſios ac Batavos quotidiano ſeri lactis uſu a ſcorbuto patrio ſeſe munire & liberare* dicitur (*s*): quod ab antiquiſſimis Medicis commendatum fuit in morbis ab humorum impuritate oriundis. ejus uſus in calculo, & in Tabe dorſali (*t*). Tabes ab abuſu potuum ardentium raro medetur. Vir ab hac cauſa in tabem inciderat, ab iis ſenſim abſtinuit, & per ſex menſes ſerum lactis potavit, & poſtea ſobrius, ſaniſſimus quadraginta adhuc annos vixit. Noſco ſenem potatorem, qui manè ſpiritui juniperi indulget, & poſt meridiem lac dulce cum emolumento bibit. Ergo ſenſim a ſpirituoſis potibus abſtinendum: Etenim novi Domicillam viginti & plu-

(*r*) P. 62. (*ſ*) v. Mollenbroccius. (*t*) v. Hippocrates.

plurium annorum, quæ intra quatuordecim dies ad plures migravit, quia hanc neglexerat cautelam. de *ſeri lactis virtutibus* v. *Fred. Hoffmannum* (*u*).

Guajacum, cujus decoctum potenter ſudores movet, calefacit cum *Saſſafras* infuſo, & *Santalis* præſcribitur in Lue Venerea, in Scabie inveterata, talique Scorbuto. Pulmones a diuturno ligni Guajaci decocto exaruiſſe narratur (*v*). Ante ſudoriferorum calefacientium uſum purgandæ ſunt primæ viæ: de languore a liberali & illegitimo ſalis volatilis c. cervi uſu ante neglectâ purgatione vide caſum (*w*).

H.

Helenium v. *Abſinthium*. *Vinum Helenites*, ejusque radix condita ſtomacho frigido, & flatulento opitulantur.

Hordeum cum hoc vel *Avena* fiunt Ptiſanæ,

(*u*) Opuſc. Med. Pr. Dec. 1. Diſſ. 9.
(*v*) Rhod. C. 2. O. 21. & Bonet l. 2. p. 506.
(*w*) v. Fred. Hoffmanni Opuſc. Med. Pr. Dec. 2. Diſſ. 7. §. 35.

næ, quarum uſus notiſſimus eſt, quibus additur ſuccus recens *citri*. Abuſus talium refrigerantium ſingultum excitantium in Morbis & Febribus calidis, in horum decremento vitandus. Lac *caprillum* cum *Aqua Hordei* diluitur in morbis Tabidorum. Aqua *Selterana* cum hoc lacte efficaciſſimam deprehendi in Phthiſi incipiente; ſi vero colliquativi ſudores vel diarrhæa talis adſunt, conclamatum eſt, & cum ſputis contagioſis, quorum olfactu Medicum phthiſicum evaſiſſe fertur (*x*). Juſcula avenacea & hordeacea in Variolis & Morbillis laudat *Sydenhamus*, quæ pectori proſunt.

I.

Jalappa: radix & reſina Sal acre continent, ſunt *Hydragoga*, in hydrope, & in affectibus cutaneis ſeroſis proſunt. Cachecticis, ut Scorbuticis (*y*) maxime nocent, &

(*x*) Schenkius lib. 2. ob. 112. (*y*) v. Eugalenus.

& in Morbis & Febribus acutis, in hæmorrhagiis, pectoris morbis, graviditate. de *Mercurio dulci* cum Reſina jalappæ fataliter adhibito in puerulo v. *Fred. Hoffm.* (z) in Ileo cathartica evadunt vomitoria. Vis reſinæ hujus ſalibus neutris ſtimulatur magnopere, ut arcano duplicato, tartaro vitriolato &c. viginti alvi dejectiones a ſemidrachma Cremoris Tartari, & duobus reſinæ ejus granis (*a*). *Scammonium* & *Scammoniata* iisdem gaudent viribus v. *Ipecacuanna.*

Imperatoria v. *Abſinthium.*

Ipecacuanna, cujus radix emetica omnium tutiſſima; quandoque vomitum & purgationem ſimul excitat. Vel purgat ſolum, & poſtea ſemper roborat. In Febribus Continuis Epidemicis, ubi vomitorium ſæpe indicatur, ut delirium, convulſio, nauſea, ſitis immanis a ſaburra primarum viarum putrida, biliofa oriundæ, præſcindantur, & avertantur Dyſenteriæ vel

Aphthæ.

(z) Conſ. & Reſp. Med. l. 1. p. 457.
(a) v. Pechlinus.

Aphthæ. Antidyſentericum vulgo audit, ſed tale tantum eſt reſpectu ejus vis egregiæ emeticæ; hæc repetitur in hoc morbo, prout æger plus vel minus nauſeat, cujus ſolius ope penitus Dyſenteriam tolli, ſi fomes tantum in Ventriculo reſidet, & Rheum neceſſarium eſſe, ſi in inteſtinis ſimul, obſervatum eſt. cum Rheo autem hanc ſimul potius darem, quam cum radice Jalappæ Rheum mixtum, ut factum eſt (*b*).

Anno 1745. & 1746. in hiſce Transmoſanis oris, & Leodianis, magnis encomiis celebrabatur *Vitrum Antimonii Ceratum:* licet hoc pulvere cum ſaccharo albo intimè trito infinitos Dyſentericos ſanaverim, ad *Ipecacuannam* & *Rheum* tamen mihi recurrendum fuit, quia in viciniis ut *Leodii* V. C., neſcio quo fato, plures hoc pulvere *Scoto* e medio ſublati ſunt. Retulit mihi Practicus *Batavus* inſigniſſimus, hoc pharmacum male tunc ceſſiſſe in Exercitu Fœderatorum, & qui inde evaſerint, diu languerint, antequam convaluerint. Vitri

(*b*) v. Bonet l. 3, p. 167.

tri Cerati Antimonii pauca grana Rheo, vel Jalappæ radici ſimilibusve catharticis addita cum Saccharo efficiunt pulverem Anthelminticum adultioribus, fortioribusque tantum propinandum. Vomitoria ſumma eſſe venena contra vomitus quosdam lectionibus Obſervatorum patebit. Nocent vomitui eruptionem exanthematum nuntianti, & in morbis oculorum, Pectoris, & in cachecticis, hyſtericis, in viſcerum ſcirrhis, corruptione, unde diarrhææ colliquativæ, lethales, in graviditate. Plethoricis fatalia ſunt, Apoplexiam ſæpe lethalem efficiunt, vel mortem ſubitaneam, quæ teſte *Boerhaevio* eſt Apoplexia conſummata. Cephalalgicis, Hernioſis, calculoſis alvo dura ab induratis fœcibus affectis nocent. Si *emetica* darentur Cachecticis, vel Hydropicis, quidquid aſſumant ſive alimentum, potulentum remediaque vomentibus, quam temerarium hoc foret, cùm obſervetur, hoc in caſu raro convaleſcere tales (*c*).

Vo-

(*c*) Fred. Hoffm. Med. Rat. 44. p. 3. p. 433. §. 4.

Vomitoria purgantia, Venæ Sectio nunquam adhibenda circa inſtans menſium tempus, longe minus ſub horum fluxu. Videte tamen *Paræum*, ubi tres Medicos Gallos, inter quos *Duretus*, in Domina pleuritide & Peripneumonia affecta, præſcripſiſſe dicitur clyſterem & V. S. ſub menſium fluxu, quam admiſit poſtea ægra (*d*). Non valent, ubi menſes per ætatis rationem ceſſarunt.

Antimonialia Emetica periculoſa eſſe maxime, teſtantur Cordati Auctores, præcipuè *Fred. Hoffmannus. Sicut vitrum Antimonii*, (inquit ille Germanorum Medicorum illuſtriſſimus) *omnium eſt potentiſſimum, ita Tartarus emeticus multo valentior eſt eo, qui ſecundùm præſcriptum Mynſichti ex metallorum croco conficitur, quod omnes qui medicinam factitant, velìm ut notent* (*e*).

Iris Florentina. v. Abſinthium.

Juniperus, cujus ligni viridis fumo quotidie depuratur Atmoſphæra Noſocomiorum

(*d*) Bonet l. 1. p. 23. O. 40. (*e*) L. 2. Med. Rat. c. 5. p. 2.

rum militarium. Novi celeberrimum Medicum Gallum in Noſocomio Batavo, ubi Febre Epidemica malignâ laborantes milites ab eo tractabantur, hanc non ſuperaviſſe, niſi poſtquam contagioſum, ut ita dicam, aërem depuraſſet igne: quotidie enim juſſit in ſingulis cubiculis ægrorum, luculento uti camino.

Spiritus Juniperi Ventriculum debilem, flatulentum, frigidum ſanat. Ab ejus & ſimilium, abuſu & longè magis a ſpiritibus aromaticis, ut Spiritu *Aniſi* v. g., fiunt hæmoptyſis Phthiſis, Icterus, Hydrops incurabiles; tremor artuum, palpitatio cordis, polype ejus, &c. (*f*). Spiritus Vini forma enematis uſurpatus inebriat multò magis, quam ſi potatur (*g*).

L.

Lavendula, cujus flores calefaciunt, cephalici & nervini ſunt. *Aqua* & *Spiritus* horum iisdem pollent virtutibus. Cum ejus *Spiritu* lavat

(*f*) Id. ib. t. 2. p. 3. c. 4. (*g*) Act. Angl. 598.

lavat caput ſexus hyſtericus ut roboretur;debile enim valde eſt, & vertiginoſum; & de glaciei frigore ſolum verticem capitis prope ſuturam coronalem infeſtante hic quandoque conqueritur. Tales binas hyſtericas noſco. quod plusquam centies in hyſtericis obſervavit paſſionibus *Langius* (*b*).

Laurus, *Leviſticum*, v. *Abſinthium.*

M.

Majorana cephalica eſt ut *Lavendula*, & *nervina.*

Malva. v. *Althæa.*

Manna convenit in morbis Pectoris, Hepatis, Renum Acutis, ubi indicatur purgatio. Gravidis non nocet, & infantibus tuſſi ſtomachica, a ſaburra primarum viarum orta, laborantibus prodeſt; & in Herpete, ubi *Jalappina*, & ſimilia, pernicioſa ſunt. Antequam Variolas, Merbilloſque, in corporis nunquam ante his correpti centro deliteſcere nondum probè ſcimus,

Man-

(*b*) L. 2. epiſt. 55.

Mannâ ſimilibusve purgandæ ſunt primæ viæ, quod in Confluentibus ſummè neceſſarium eſt. Convaleſcentes ab iisdem morbis, ut cecitas, phthiſis, aliaque non minus funeſta avertantur, eccoprotico hoc utantur. In Febribus Continuis Epidemicis, ſi emeticum interdicitur, uſurpatur: & ætate cum ſero lactis, diebusque canicularibus, urgente neceſſitate, *eccoprotica* talia uſurpantur, ubi *Jalappina*, *Scammoniata*, *Aloëtica* vetantur.

Rhabarbarum, *Tamarindi*, ut *Manna* adhibendi.

Caſſia ejusque pulpa quoquè, quæ in morbo nephritico conveniunt. Tria hæc ultima flatulentis nocent. *Senna* c. Rheo, ſimilibusque datur.

Mars, cujus limatura ſubtiliſſima Cachecticis, Ventriculoque debili & frigido prodeſt.

Aquæ Spadanæ martiales ſunt, & acidum in ſe continere aſſerit D. *Chrouët* (*i*).

Po-

(*i*) La Connoiſſance des Eauz minerales d'Aix, & de Spa.

Potantur in Chloroſi, in menſium defectu & exceſſu, a vaſorum laxitate oriundis.

Novi plures in *Hollandia* fœminas adeo diuturna Uteri hæmorrhagiâ exhauſtas, ut lecto detentæ coactæ fuerint *Pouhontii* Aquam, (quæ ſola cum viribus tranſportari poteſt), potare, priſtinamque ſanitatem recuperarint; incaſſum antea adhibitis omnibus convenientibus medicamentis.

Ut adimatur hujus aquæ frigus, tempeſtate frigida, ponatur lagena in Aqua parum calefacta; vel potetur cum Vino Pouhontius.

Vidi quoque ſteriles mulieres, quæ epota incomparabilis *Geronſterinii* Aqua, uterum geſſerunt, curatis nimirum menſtruis, quæ in exceſſu peccabant.

Vidi Anno 1748. *Spadæ* Gallum quadragenarium, (qui antea curſor fuerat), fruſtra Aquas minerales bibentem contra Lienis ſcirrhum, ad tactum duriſſimum, quo abhinc quinquennium laborabat. Vir ille Medicis omni momento male dicebat, qui Aquas Spadanas diſſuaſerant, quas *Spadæ*

in mali principio haurire ſtatuerat.

Aqua *Geronſterinii*, (quæ tantum ad ſcaturiginem (*) potari poteſt), Ventriculum debilem, frigidum, flatulentum roborat: ſed viſcera abdominalia ſint integra. Hanc malè novi præſcriptam fuiſſe Hypochondriacis, viſcerum obſtructionibus laborantibus, qui dyſpnœa, vertigine & infinitis aliis non minus moleſtis excruciabantur ſymptomatibus. Nec mirum: Alvus enim maximoperé conſtringebatur, unde Spiritus hujus Aquæ volatiliſſimi, potentiſſimique caput petebant. Propterea *Pouhontium* a me commendatum feliciter biberunt: quem *Spadæ* vidi quandoque in hypochondriacis ſalutares dejectiones aliquot excitaviſſe. Quandoque Ventriculum gravabat: tunc primum poculum aliquot guttis Extracti *Pouhontii* roborabatur a D. D. *Corneſſe*, Medico Spadano, optimo cum ſucceſſu.

Retulit mihi hic Practicus, ut ab eo poſtulaveram litteris, caſum mihi narra-

tum

(*) v. Diſſ. D. *Preſſeux*.

tum *Spadæ* a Leodienſi Sacerdote veriſſimum eſſe; ſc., civis Spadanus impetigine (*Gallis Dartre*) infeſtabatur: propterea cryſtallina, gratiſſimaque *Savenirinii* Aqua uſus eſt: primis potationis diebus cœpit exſiccari, & in pulverem redigi, tandemque intra quinque hebdomadas penitus evanuit. Incaſſum propter idem malum hanc adhibuit Aquam ſenex ille Sacerdos.

Circa inſtantes menſes, vel ſub horum fluxu non potantur. Quasdam Spadanas fœminas noſco, quæ Aquas minerales a pueritia quotidie bibunt ſine ullo omnino incommodo. Aliæ vero cautiores ab earum uſu tunc temporis ſeſe abſtinent.

De Fontibus Spadanis v. D. *Preſſeux* (*k*).

Mel cum farina adulteratur: puriſſimum, ut & omnia dulcia, pectori ſicco calido tuſſienti prodeſt. Intempeſtivè utuntur in morbis pectoris frigidis, pituitoſis, & ſimilibus præprimis. Hydromel antiquum pectorale eſt.

Meliſſa

(*k*) Diſſert. Inaug. de Aquis Spadanis Lugd. Bat. altera editio 1736. in 40. apud Joh. Luzac.

Meliſſa calefacit, & memoriam confortare dicitur (**). Quidquid ex hac conficitur, Cardiacum audit, & eſt tale, ſed tantum reſpectu morbi a cauſa frigida, pituitoſa orti.

Mentha calefacit, & ſtomachica eſt, ut & ejus Aqua deſtillata, & *Spiritus*. Syrupus alvum roborat, adſtringit.

Mercurius crudus poſt inunctiones mercuriales in capite inventus (*l*). *Mercurius dulcis* cum purgantibus ſociandus eſt, ſolus enim non facile catharſin excitat. In Scabie adultorum, & contra vermes illo utimur. Infantibus nocet: Tutius eſt *Rheum*, vel *Manna*. Corroſivus evadit, ſi acido occurrit (*m*). Cachecticis, Cacochymicis, corporibus ſenilibus, melancholicis, & nervorum morbis nocet. Salivationem, anxietates, tormina, & longè deteriora ſymptomata eò facilius atque citius excitat, ſi parciſſima licet doſi cum cujuscunque generis ſalibus maximè ammonia-

(**) v. Fred. Hoffman. (*l*) Bonet. Sep. An.
(*m*) Veſti de Uſ. & Abuſ. medicam. mercurial.

niacalibus & alcalinis fuerit commixtus atque ſubactus (*n*). Cum ſalibus autem neutris non temerè eſt maritandus; ne majores turbas in corpore ſuſcitet. (*o*). Semper cum diſcrimine operatur, ſi cum illegitima adhibetur diætâ. In Variolis datus fuit (*p*), quod imitari nollem. Cæcitas ſubitanea ab ejus uſu (*q*). Funeſta tragœdia a *Mercurii ſublimati corroſivi* granis duodecim infanti vix duorum annorum exhibitis (*r*). Aſthma lethale a pilulis mercurialibus (*s*).

Millepedes calefaciunt, diuretici ſunt, ſanguinem & pectus pituitoſum depurant. Succus ex animalculis vivis exprimitur, vel millepedes ſiccati, in pulverem rediguntur. Vidi pulviſculos ſolis millepedibus, & genuinis lapidibus cancrorum conſtantes mirificè profuiſſe Virgini quadragenariæ, horrendis convulſionibus, artuum tremo-

(*n*) Fred. Hoffm. Conſ. & Reſp. Med. c. 1. p. 485. (*o*) Wedel. de Mercur. dulc. (*p*) A. N. C. D. 1. A. 3. O. 9. (*q*) Id. c. 7. (*r*) Wedel. l. c. p. 22. & Fred. Hoffm. c. 2. p. 260. (*s*) Zod. Med. p. 156.

moribus, præprimis capitis & genuum defatigatæ.

Myrrha v. *Aloë*, & *Aſa fœtida.*

N.

Nitrum ſanguinis motum nimium ſitimque ſedat, refrigerat, & diureſin promovet. *Nitroſa*, & *Tartarata*, ut *Cremor* & *Cryſtalli Tartari* cum *Rob Sambuci* conveniunt, ubi bilis putrida peccat, vel ſi *acerrima eſt*; quæ (ut inquit *Ludov. Duretus*) *talis procreatur æſtate potiſſimum calidiſſima, & ſicciſſima* (*t*). Sal Polychreſtus cum *Rob Sambuci* egregius eſt in Febribus a bilioſa ſaburra ortis. Quandoque expertus ſum, hunc ſalem nimis calefacere in calore Febrium Intermittentium Epidemicarum continuas mentientium, cui tunc *Salem Prunellæ* ſubſtitui cum proſpero eventu. Hic in Angina inflammatoria gargariſmatis forma cum Mororum Syrupo præ-

(*t*) Com. in cap. 22. Coac. Hipp.

præſtantiſſimus eſt. Hic fruſtra dabatur in Angina ſummopere inflammatoria, epidemicè graſſante Annis 1745, & 1746. in hac Regione *Batavorum Transmoſana.* Nunquam me talem vidiſſe, & in Scriptis Medicis legiſſe memini. Sed in *Novellis* publicis (*Couranten* Belgis) dicebatur, in certis Germaniæ locis talem fere *Epidemiam* tunc vagari. Ineunte æſtate, cum ingenti capitis dolore incipiebat crudeliſſimus hic Morbus, omnibusque inflammationis generalis ſtipabatur ſymptomatibus. Primo die apparebat Macula alba ſtatim unam tantum tegens Tonſillam; quæ ſenſim ad alteram extendebatur, tandemque totam etiam operiebat. Ambæ valde inflammatæ erant. Venæ ſectionibus, licet liberalius repetitis, non potui impedire converſionem Maculæ in cruſtam brevi tempore indureſcentem: nec gargarismata, enemata, denique nec curam antiphlogiſticam neglexi. Cruſtæ tamen gangræneſcebant; quæ leviter *Aqua divina Fernelii* attactæ facillime fruſtatim deciderunt.

Hinc exſpuitio frequens cruſtarum eſcharoticarum, graveolentum: unde halitus mephiticus. Reſpirationis autem major libertas, deglutitio valde dolorifica ob excoriatas fauces. Menſium fluxus ſæpe crebriores prohibuit Venæſectiones: nec ullum levamen a menſtruis legitimis. Venæ ſectio prima in quibusdam ſanguinem dabat coriaceum, φλογιςικότατον: in aliis ſtatim dilutum valde ob putredinem, dein cum viſcoſitate inflammatoria inſpiſſatum. Sexus ſequior, demptis paucis maſculis infantibus, puerisque, ſolus Anginoſus fuit, cui prophylacticam curam propoſui, præprimis in plethoricis, V. S., Eccoproticis, & Victu debito conſtantem, ſed ſurdo narrabatur fabula: maluit maculam albam exſpectare. In quibusdam *Peripneumoniæ veræ* quædam ſymptomata Anginam concomitabantur. Prima Anginoſa, ob parentum negligentiam incognitum morbum vilipendentium, delira cum gangrænoſis obiit faucibus. Cæteræ, & anno ſequenti quadrageſimo ſexto noſtrâ prædicta convalue-

rant

runt methodo. Per aliquot menſes per nares loquebantur. Omnes lactantes, puerique, quorum parentes V. S. rejecerunt, ratione ætatis inſtituendam, ſuffocati ſunt.

In puero undecim annorum manè Vena ſecta fuit. Accidit pomeridiano tempore ut vinculum laxeretur, & per venæ ſectæ foramen magna ſanguinis copia efflueret: quo infortunio omnes conſternabantur adſtantes. Die autem ſequentè abſolutè curata fuit ejus Angina.

Duo pueri hoc ultimo anno inde ſuffocati ſunt, quia curam noſtram rejecerunt Matres. In cadavere pueri decennis gangrænoſa erat Epiglottis, Pulmonesque partim inflammati, partim purulenti. In altero ſexenni, hi erant ſani, aſt Epiglottis & Tonſillæ gangrænoſæ.

In puella decenni phlebotomia larga ter inſtituta fuit: Tonſillæ fuerunt ſcarificatæ: Hæmorrhagiam narium profuſam habuit, & violentiſſimam Febrim cum continuo delirio: Omnibus convenientibus Artis adminiculis incaſſum adhibitis, ſuffo-

cata eſt. Membrana Tonſillas & Epiglottidem inveſtiens, quæ indurata erat, ab his, dum ſecaretur, facile ſecedebat. Suffocationis cauſam tribui pellibus eſcharoticis, & graveolentibus totam fiſtulam aëream ad Pulmones usque internè integentibus. Aliquot diebus ante obitum Bronchotomiam parentibus propoſuimus, quam ſine periculo faciendam eſſe aſſeruimus: hanc tamen recuſarunt. Hanc autem inſtituiſſet dexterrimus, peritiſſimusque D. *Haxhe Ulna Dalhemenſis*, celeberrimorum Pariſienſium Chirurgorum alumnus. Irrita fuiſſet.

Sale Prunellæ Hydrops curatus. (*u*).

Spiritus Nitri dulcis diureticus eſt, carminativus, putredini reſiſtit.

O.

Opium eſſe ſummum Narcoticum hactenus cognitum, quis ignorat? Eſt Spirituum domitor: quapropter eſt heroïcum phar-

(*u*) River. Obſ. commun. p. 582.

pharmacum tempeſtive uſurpatum contra Hyſterica ſymptomata ab horum Ataxia oriunda. Anno præcedenti tractavi Transmoſanam Virginem triginta annorum, robuſtam, laboribus agreſtibus aſſuefactam. Ab hinc tribus annis occurſu milites Hungarici (*Huſſare Belgis*) ſummopere perterrita fuit. Neglectâ Phlebotomiâ, quam ſtatim inſtituendam ejus ſumma animi commotio indicabat, Hyſterica evaſit: nunquam antea hunc paſſa fuerat morbum; quem plurimorum affectuum ſpeciem præ ſe ferentem non noverunt ejus Medici, medicaſtrique: ſed imtempeſtivis Catharticis, Emeticis, Emmenagogis, hoc exacerbarunt malum. Tandem elapſa æſtate ad me venit. Omni menſe, ut ſolet, rectè menſtruata eſt; ſub fluxu autem menſium, primis nimir. duobus diebus, cephalalgia immani, vomitu humorum pituitoſorum, tenacium, diarrhœa, borborygmis, ructibus ſatagebat, torminibusque adeo acutis ventris torquebatur, ut præ doloribus altiſſimâ cogeretur exclamare

mare voce. Hic miſerrimus ſtatus per binas illas integras durabat dies, fluentibus interim pro conſuetudine menſtruis legitimis, quibus elapſis in placidum, profundumque incidebat ſomnum, & expergefacta, ſanitate, ut ante, optima fruitur. Anno præcedenti Venæ ſectionem a Medicis præſcriptam rejecit. Huic non morbi curationem, ſed paroxysmi ſedationem promiſi. Et licet nunquam medicamenta ſub fluxu menſium propinem, quamquam extant caſus, ubi hæc data tunc ſunt (*v*), coactus fui, ut indicationi meæ ſatisfacerem, de ſententia mea diſcedere. In ipſo acceſſu hyſterico dedi aliquot guttas conſtantes Tinctura Opii, & Antihyſtericorum fætidorum cum ſpiritu vini factâ, quarum vehiculum erat cochlear ſpiritus Juniperi: hujus tertium ſpatio trihorii hauſtum omnino ſuſtulit paroxysmum, maximasque mihi parentes egerunt gratias: eodem modo omni menſe ſe tractavit. Suaſi autem, ut pa-

(*v*) v. Bonet. Sep. An. p. 23. & Synopſin noſtr. de Ipecacuanna.

parumper vomitum ſibi committeret ipſi ante Antihyſterici uſum. Menſibus finitis elixire per aliquot dies utebatur, ut evacuarentur ſaburræ pituitoſæ: omnia proſperè ſucceſſerunt: quater hæc pharmaca in acceſſu hyſterico adhuc adhibuit; & nunc adeo miteſcunt ſymptomata, ut absque remediis magis magisque tolerari queant.

Opiata Cacochymicis nocent, & in acutis: Hæc uſurpabat intempeſtivè in Pleuritide *Sylvius*, & ubique, unde dictus *Medicus Opiator. Laudanum* in acceſſu podagræ datur, ſed urgente maximâ neceſſitate, ubi dolores inſuperabiles ſunt. Infantibus, ſenibus noxia ſunt *Opiata.*

Hæc & *adſtringentia* intempeſtivè uſurpata in Hæmorrhagiis, Leucorhœa, Dyſenteria, funeſta pariunt phœnomena. Alvi fluor ſalutaris, Hydropi incipienti ſuperveniens ſine viſcerum labe, & probè diſtinguendus ab illa colliquativa, lethali Diarrhœa a viſceribus corruptis in hydrope, non ſiſtendus. Nec ſupprimenda eſt, quæ infantes variolis confluentibus affectos ſal-

vat. Nec quæ lochiorum vices agit, quomodo *Thomæ Bartholini* uxor (w) fuit ſanata. Sibi ipſi quoque committatur ille ſpontaneus Alvi fluxus, qui teſte *Fernelio* (x) quandoque Ictero ſupervenit Chronico, cujus Naturæ triumphantis beneficio multi evacuantur calculi. Meis oculis vidi mulierem plethoricam ſubito maximo perculſam terrore, ſuperveniente ſubitanea, larga, diarrhœa ſpontanea, æque cito curatam fuiſſe ac ſi tempeſtiva phlebotomia inſtituta fuiſſet.

P.

Papaver hortenſe, cum cujus ſeminibus fit Emulſio paregorica, & cum *Amygdalis dulcibus*, quæ in morbis Pectoris acutis convenienter adhibita, egregia eſt. *Syrupus* etiam paregoricus eſt, cujus vis *Diacodii* minor eſt. Hujus *Diacodii* ſolius uſus legitimus ſæpiſſime Hæmoptyſin curavit.

Tu-

(w) Cent. 3. hiſt. 19. (x) l. 6. c. 5.

Tutius eſt *Opio* in phrenitide. Hoc enim ſucco phrenitidem in Lethargum mutatam fuiſſe novi. Anodynorum horum abuſus infantibus nocet, nervos cerebrumque debilitat, tremorem, paralyſin & fatuitatem excitat (*y*).

R.

Rhabarbarum eſt roborans catharticum, Ventriculo debili amicum, omni ætati, omni ſexui, omni ferè morbo proficuum, Rachiticis, Cachecticisque, & tutiſſimum Anthelminticum, quo infantes vermibus ſcatentes nunquam periclitantur. Animam infantum vocavit *Tulpius*, *Rondeletius* Hepatis (*a*) animam. Rheum maximis encomiis celebravit Nobiliſſimus *Harris* (*b*). Rheum noxium in Dyſenteria fuit orta ab inflammatione, quæ curâ Antiphlogiſticâ ſanabatur poſtea (*c*) v. etiam *Manna.*

Rosmarinus cephalicus eſt v. *Lavendula*, & Aſa *fœtida.*

Ruta v. *Aſa fœtida.*

S.

(*y*) v. Stalp. v. der Wiel. (*a*) d. Medicam.
(*b*) p. 65. & 129. (*c*) Sydenh. S. 3. c. 3.

S.

Sabina v. *Aſa fœtida.*

Saccharum, ejusque *Syrupus* (*Belgis Stroop*) plethoricis, calidioribus bilioſis, atrabilariis tantum conveniunt, pectorales ſunt. *Saccharum* eſt baſis Syruporum medicorum. Qui Febribus tentantur Intermittentibus, ſæpius & citius moriuntur, ſi Syrupis pluri ſaccharo edulcoratis utantur, quam qui ſine his tractati ſunt (*d*). *Syrupo Sacchari* utitur vulgus in *Hollandia*, quando Peripneumonia notha laborat, tuſſim demulcet expectoratione, quam facilitat.

Sagapenum v. Aſa *fœtida.* Mors Monſpelienſis Gubernatoris ab injecto clyſtere, quem *Sagapenum*, & *gummi Ammoniacum* &c. ingrediebantur (*e*).

Salvia v. *Abſinthium*, & *Lavendula.* vis hujus eſt paulum adſtringens, ut ex ſapore deprehenditur. *Salviæ* & *Cinnamomi* inſtar potus *Theæ* uſurpatum infuſum curavit quinqua

(*d*) v. Fred. Hoffm. (*e*) Rondel. l. c.

quagenariam fœminam, quæ ab hinc triennium fluore Uterino ſanguinis laborabat adeo', ut Hydropica cœperit evadere: alternis vicibus purgabatur Rheo. Flores ſecalis ſiccati, & in pulverem redacti, cum vino rubro dati, vel cum eo cocti vaſa uterina roborant, & ab his hæmorrhagiis liberant Sexum, præmiſſis præmittendis.

Sambucus, cum cujus corticis mediani recentis cum vino albo infuſione, juvenis robuſtus, intra duas ſeptimanas curatus fuit: per diureſin ſeroſitates evacuavit copioſas, quibus cœperat hydrope laborare: Flores & Rob ſunt diaphoretici.

Santonicum eſt anthelminticum infantibus proficuum, & pueris.

Scammonium v. *Jalappa*.

Scorzonera, cujus radicis non decorticatæ, recentis decoctum in Febribus calidis adhibetur, cum decocto *Cichorei ſylveſtris*, cum toto.

Serpentaria virginiana v. *Abſinthium*. Hanc & ſimilia *Alexipharmaca* diſſuadet in peſte *Harris* (g). *Sperma*

(g) p. 82.

Sperma Ceti cum Syrupis pectoralibus miſcetur, vel ſolum datur ad pectus demulcendum.

Succinum flavum v. *Aſa fœtida.* Vomitus lethalis cruentus in fœmina hyſterica, cujus menſes ſuppreſſi erant poſt Febrim Tertianam, cui *Elixir Succinatum Aloëticum* cum oleo Sabinæ propinatum fuit (*h*). *Oleum* ejus eſt potens diureticum, calefaciens, frigidis, pituitoſis, humidisque temperamentis tantùm proficuum: ſic quoque *Balſami Peruviani*, *Copaivæ* & *Terebinthinata.* Semicochlear olei Succini expulit aliquot calculos, ſed pœnitendo, poſtea eventu (*i*). Cardialgia & Leipothymia, in fœmina hyſtericis obnoxia paſſionibus ab hoc oleo (*k*). Iſchuria a terebinthina (*l*). Mictus cruentus ab ejus Spiritu (*). *Oleo Succini* illinitæ nares in Peſte cum proſpero ſucceſſu (*m*)

Sal,

(*h*) Fred. Hoffm. Op, Pr. Med. Dec. 2. Diſ. 7. p. 467. (*i*) A. N. C. D. I. A. 8. O. 88. (*k*) Id. c. I. p. 124. (*l*) Hildan. c. 5. O. 59. (*) Id. ib. O. 52. (*m*) Act. Angl. N. 364. §. 3. & Memoire Litter. de la Gr. Bretagne par Mr. la Roche tom. XI.

Sal, & Tinctura ſunt Antihyſterica, ſed reſpectu tantum temperamenti frigidi pituitoſi, nulli Uteri hæmorrhagiæ obnoxii.

Sulphur, cujus flores quoque ſcabiem, ſimilesque curant affectus. *Aquisgranenſes ſulphuratæ Aquæ* deguſtatæ, ovorum putridorum ſaporem referunt. Epotæ purgant, ſed prudenter uſurpandæ; novi enim plures, qui voluptatis gratia has hauſerunt, nec evacuarunt, unde ſaniſſimi antea, in intumeſcentiam corporis ſubito inciderunt, quam diſſipaverunt Thermis Aquisgranenſibus, quæ ſudorem potenter excitarunt. Conveniunt in morbis pituitoſis, frigidis. Tuſſim frigidam pituitoſam Stomachi curant, & morbos ſcabioſos. Anthelminticæ quoque ſunt. Colonellus Batavus mihi narravit, ſe ſeptem annos natum vermes infinitos numero alvo excreviſſe, epotis his Aquis ad fontem. Hic Chiliarchus Hollandiam petens in itinere caſum hunc Matronæ Batavæ vermibus etiam ſcatenti retulit, quæ *Aquisgranum* ſe contulit, ubi eodem modo convaluit. Lagenæ recte obturatæ

ſint, ut ſine alteratione tranſeant mare hæ Aquæ. *Thermæ Aquisgranenſes ſulphuratæ*, curant quoque ſcabioſos morbos, Rheumatiſmum, & Paralyſin: huic autem Apoplexiam ſequenti nocent, & hominibus capitis morbis obnoxiis. De His v. D. *Chrouët*, & Diſſertatio Inauguralis D. D. *Le Soinne* (*n*), Practici *Aquisgranenſis* peritiſſimi: cujus deſideratiſſimæ Obſervationes hoc adornaſſent Opus, ſi promiſſis ſtetiſſet. Sperandum autem eſt, ut ab ipſo edantur Auctore, cum plus, quam quo fruitur, otii nactus fuerit.

In *Leodienſi* territorio, duabus horis *Leodio* diſtantes Thermæ, naturaliter tepidæ occurrunt, *chaud fontaine* vocantur: Aqua limpidiſſima eſt, parum ſalita, parvum vini ſulphurati odorem habens. Hæ arte magis calefiunt. Rheumatismum quandoque ſanarunt: Non autem comparandæ cum Aquisgranenſibus balneis naturaliter calidis. Illis utuntur æſtate *Leodienſes*, & *Transmoſani*

(*n*) De Thermis Aquisgranenſibus Lugd. Bat. 1738.

moſani vicini, refrigerandi cauſa; quas plerumque uſurpant Peregrini, antequam ſe *Spadam* conferant.

Hæc innocua balnea ante aliquot annos adhibuerat Capitaneus Batavus, nephriticis doloribus valde obnoxius, per aliquot nimirum ſeptimanas. Aquas dein *Savenirinii* ad Fontem ipſum potavit. Poſt aliquot hebdomadas denuo hæc inviſit balnea, quibus auxiliis cum legitimo victu, copioſiſſimum ſabulum, parvosque minxit calculos, & penitus convaluit. Anaſarcam curaverunt etiam hæ Thermæ partim epotæ, partim extus uſurpatæ: de qua legatur libellus D. *Chrouët* pag. 30.

T.

Tamarindi. ſal eſſentiale horum Cremori Tartari quoad vires ſimile. v. *Manna.*

Tartarus v. *Nitrum.*

V.

Violaria, cujus florum Syrupus gratiſſimus odore, ſapore, & viſu eſt refrigerans.

Hoc Syrupo cum florum Malvæ decocto curatus fuit a Stranguria *Foreſtus* (*o*), quæ ſpatio trimeſtri eum excruciaverat, quo pharmaco poſtea alios curavit ſtrangurioſos. *Colbath* Medicus Anglus miſcuit ſerum podagricum cum hoc Syrupo, quod illum vireſcere fecit (*p*).

Z.

Zinziber v. *Abſinthium*. Radix ejus condita, ut omnibus innoteſcit, ſtomachica calefaciens valde eſt. Hæc a gravida copioſiſſime ſine ullo omnino incommodo comeſta (*q*). Mors Principis Eccleſiaſtici ab ejus abuſu, quam adhibuerat, ut Ventriculum refrigeratum nimio Aquæ frigidæ potu roboraret. (*r*). Noſco Dominam, quæ hujus radicis conditæ uſu rheumatiſmo dolorifico valde torta fuit.

F I N I S.

(*o*) Ob. 4. (*p*) Act. Erud. 1696. (*q*) v. Plater. (*r*) v. Id.

O B-

OBSERVATIONES MEDICÆ DE AQUIS SPADANIS

AUCTORE

PHILIPPO LUDOVICO DE PRESSEUX, MEDICO SPADANO.

OBSERVATIO I.

De Paralyſi Manuum & Crurum.

Tractavi cum Doctiſſimo D. *Sacrelaïre* (*a*) Domicellam vigeſimum quintum ætatis annum agentem. Balnea in *Germania* ſpatio trium conſequentium annorum adhibue-

(*a*) Medicinæ Doctore Hagæ-Comitum.

buerat, & exinde bis Thermas *Aquisgranenſes* contra Paralyſin manuum cum *Atrophia*, quæ *Colicæ Pictonum* ſupervenerat. Potum Aquæ Fontis *Geronſterinii* (*b*) commendavi, cujus primum poculum cum quindecim aut viginti guttis harum Aquarum *Extracti*, (ut ſoleo) quotidie roboravi, Eccoprotica præſcripſi, ut alvus, quæ noſtris adſtringitur Aquis, lubrica conſervaretur. Nec convenientia neglexi topica. Propter res domeſticas *Spadâ* diſceſſit, ubi menſium tractu commorata fuerat. Brachia paulò craſſiora evaſerant. Anno ſequenti mihi narravit, manus oppidò fuiſſe corroboratas, tribus poſt harum Aquarum potum elapſis menſibus; paulatimque ſeptem poſt menſes manibus, ut ante, perfectè utebatur. Ante morbum robuſtior erat pugnus, nec lævum pollicem levare valebat. Per ſex hebdomadas proſpero cum ſucceſſu Aquas noſtras potavit. Siniſtri pollicis libertas longe major, carpique craſſiores erant. Ter-

tio

(*b*) *Geronſter* vocant *Leodienſes*,

tio anno conquerebatur tantum de pollicis ſiniſtri debilitate. Valde contenta in patriam rediit. Eodem tempore Matronam eodem morbo affectam vidi, quam aliquot menſibus poſt diſceſſum penitus convaluiſſe Aquarum harum uſu, comperi.

OBSERVATIO II.

De eodem Morbo.

Vir nobilis ſex & quinquaginta annos natus manuum corripiebatur Paralyſi cum gravi œdemate *Colicam Pictonum* conſecuto, cum cruribus pedibusque valde inflatis, unde impoſſibilis inceſſus, niſi auxiliantibus duobus famulis: poſt thermarum *Aquisgranenſium* uſum *Spadam* venit. Suaſi, ut quotidie *Geronſterinii* decem hauriret pocula, cum quindecim extracti mei guttis in primo poculo. Immortalis noſtri Profeſſoris *Boerhaevii* præſcriptione, quam mihi commendaverat contra alvum noſtris Aquis adſtrictam, uſus eſt; ſcilicet. ℞. *Mannæ Calabrinæ* unc. iß. *Pulpæ Caſſiæ* dr. x. *Ta-*

marindorum dr. vj. *Tartari vitriolati* dr. ij. *Syrupi de Cichoreo c. Rheo* q. ſ. ut f. *Conditum.* Topica tempeſtiva quoque adhibui. Decimo, quo Aquas minerales hauſit, die non ſine moleſtia epiſtolam explicare poterat. Vigeſimo autem quinto ſolus intra *Spadæ* urbem ambulare cœpit cum baculo, non ſine omnium, qui ejus noverant adventum, admiratione. Per dies triginta Aquas potavit, annoque ſequenti *Spadam* idcirco ſe contuliſſet, niſi bellum ejus Patriam devaſtans obſtitiſſet. Mihi ſcripſit „ vires paulatim increſcere, ſe quotidie „ ſpatio quatuor horarum ire pedibus poſ„ ſe, hocque ſæpius ſanitatis gratia exper„ tum fuiſſe. Solus comedit, & bibit, ca„ putque operit. DEUM orat, ut nun„ quam illum incomparabilem fontem exa„ reſcere velit, cujus aquæ decem pocula „ quotidie hauſta ipſum tantopere, & tam „ brevi tempore corroborarunt."

Quinque ſimiles Paralyſes *Geronſterinio* ſanavi Fonte.

OBSERVATIO III.

De Scorbuto.

Omnes inter ſe conſentiunt Auctores celebres de virtutibus noſtrarum Aquarum antiſcorbuticis, de quibus Volumina plura componere poſſem. *Pouhontius* Fons (*c*) & *Savenirinius* (*d*), *Geronſterinio* ſemper efficaciores fuere; quos per aliquot ſeptimanas uſurpatos, maculas, ulceraque ſcorbutica ſanaſſe vidi: quæ tollebantur quoque, ſi lavabantur *Pouhontio* bis terve de die.

Nobilis *Anglus* triginta circiter annorum adeo ſcorbuticus erat, ut ingentia ulcera in variis corporis partibus haberet. Specie *Marasmi* adeo vexabatur notabili, ut vix oſſibus hæreret, ut ita dicam. Hunc *Spadam* miſerat Cl. *Boerhaevius*, ut biberet noſtras Aquas. Per annum *Monſpelii* manſerat. In hoc miſerando ſtatu commendavi *Savenirinii* Aquam cum tertia lactis parte, per tres menſes. Ulcera manè & veſperi lota cum

(*c*) Pouhon. (*d*) Sauveniere *Leodienſes* appellant.

cum Aqua *Pouhontii* curabantur, quam bibendam quoque juſſeram cum lacte. Corpulentus ſenſim evaſit. Abſceſſit *Spadâ* hoc modo, unde omnium habuit admirationem. Noſtras potavit Aquas per totam æſtatem.

OBSERVATIO IV.

De Paralyſi, & Doloribus per totum corpus.

Juvenis viginti ſex annos natus paralytica habebat crura, valdeque emaciata, cum pedibus œdematoſis. Ultima tempeſtate *Spadam* venit. Spatium inter juncturas digitum longitudine capere poterat, tanta erat harum laxitas. *Aquisgranenſes* Thermas incaſſum per ſex ſeptimanas adhibuerat. Hic affectus magnis doloribus per univerſum corpus diſperſis ſupervenit, malè pro Rheumaticis habitis: propterea phlebotomia & refrigerantia ſæpe à Medicis fuerant præſcripta: poſtea ligna radiceſque ſudoriferæ, quæ diſſipaverunt dolores

lores atroces: vagis tantum cruciabantur crura: fruſtra antiſcorbutica aſſumſit. Fuſcæ ejus urinæ deponebant copioſum ſedimentum fuſcum & lateritium, quarum ſuperficies inſtructa erat pellicula parum pingui, ſpiſſa, verſicolore. Corpulentus erat, & ex ejus optimo habitu crediſſes affectum ejus eſſe imaginarium.

Geronſterinii Aquas a me præſcriptas hauſit per quinque hebdomadas, ſed fruſtra. Denuo *Aquisgranum* profectus eſt, eodem, quo huc inde advenerat, ſtatu.

OBSERVATIO V.

De Rheumatismo, Eryſipelate, Morbisque inflammatoriis.

Nunquam Rheumatismo, Eryſipelati, Mosbisque inflammatoriis has Aquas profuiſſe vidi.

Domina Leodienſis, obeſiſſima, ſexagenaria circiter, afficiebatur femoris Eryſipelate ſub harum Aquarum potu: ſecundum artis leges a me tractabatur. ipſi ſerio

has

has interdixi Aquas, quas inſciente me abhibuit. Increvit inde adeo Eryſipelas, ut abdomen attingeret, tertio die Leodium vix venit, quin ibi moreretur.

OBSERVATIO VI.

De Brachii Eryſipelate.

Matrona triginta quatuor annorum *Spadæ* Brachii Eryſipelate affecta fuit ſub Aquarum potu: quas ipſi potandas prohibui, donec integram recuperaſſet valetudinem. Medici tamen alterius paruit conſilio, cum domo abeſſem. Cum vero reditum reſciverit meum, denuo me arceſſivit, narravitque, quomodo perterrita fuit, cum videret Brachii malum ingraveſcere. Quam argui: mihique tunc auſcultavit, & Favente Summo Numine ſanata fuit.

OBSERVATIO VII.

De Febre Continua.

Sæpenumero obſervavi, incrementum Febrium Continuarum in noſtris ruſticis

hiſce

hiſce deberi Aquis. *Pouhontium* adeunt fontem, ut ſitim reſtinguant, & quandoque inde occidunt.

Vidi Febrim Continuam Criſi valde laudabili ſanatam ſeptem diebus. Curationis die rediit febris illegitimo aliquot Pouhontii poculorum uſu. Quam, licet violentam perque quatuor dies deliriis ſtipatam, attamen tempeſtivis medicamentis abſtuli.

OBSERVATIO VIII.
De Iſchiade, & Lumbagine.

Plures Iſchiadicos morbos, & Lumbagines Aquis *Savenirinii* & *Pouhontii* ſanatos, & catharticis ſubinde datis, vidi. In Podagra nodoſa cum calloſitatibus ad juncturas, Aquæ noſtræ, periculoſiſſimæ ſunt. Efficaciſſimæ autem ſunt in Arthritide vaga, præprimis Fons *Savenirinius* cum lactis tertia parte.

OBSERVATIO IX.
De Ictero.

Ictericos ſæpe ſanant *Pouhontii* Aquæ. Tan-

Tantum novi duos, qui has incaſſum ceperunt. Hepar erat adeo ſcirrhoſum, ut tactu diſtingueretur durities. Cutis unius erat nigra. Inſanabile malum eſſe his ſignificavi. Attamen noſtras potarunt Aquas, per tres ſeptimanas. Inde deletus appetitus ſolùm parùm acuebatur. Aliquot menſibus poſt harum uſum obierunt.

OBSERVATIO X.

De Hydrope leucophlegmatico.

Tres inde convaluerunt ope *Pouhontii:* primum poculum corroborabatur aliquot Extracti mei martialis guttis. Capitaneus triginta ſex annorum, poſt Febrem ardentem creberrimis Venæ ſectionibus tractatam, hydropicus evaſerat. Ejus color erat pallido–icteritius. Huic ſtatim cathartica propinavi: dein *Pouhontium* bibere præſcripſi, cum hujus *Extracti* viginti guttis. Per ſeptem dies, ſingulis vicibus undecim cepit pocula, ſeptemque tantum per diureſin expulit: ſudavit autem multum. Increſcentem intumeſcentiam hiſce

Aquis

Aquis falſò tribuit usque adeo, ut eas omittendas eſſe cenſuerit. Denuo dein hoc Fonte uſus eſt, &, quod confirmaveram, contigit. Etenim quatuordecim cum potaſſet pocula, decem per urinæ vias excrevit. Per ſex hebdomadas fere eodem perſiſtit modo. Poſtea rectè valens reverſus eſt ad Præſidium, poſtquam veſtes ſummoperè arctare coactus fuerit.

Binos alios hydropicos fecerat vini, & liquorum ſpirituoſorum abuſus. Erat nimir. Vir quinquaginta quatuor annorum, qui ſpatio decem ſeptimanarum curatus fuit. Et mulier quadraginta octo annos nata, quæ *Spadæ* etiam intra ſex hebdomadas priſtinam reſtituit ſanitatem.

OBSERVATIO XI.

De Nephritide.

Adeo jactantur noſtræ Aquæ hocce in morbo. Fontem *Savenirinium* calculum formatum poſſe diſſolvere non credo, nimir. cum per urinæ vias expellat. Frequenter

obſervavi, hunc ex parvulis conſtare calculis ſæpe numero pituitâ inter ſe nexis: unde nimis temerè concluditur, hos eſſe majoris lapidis jam jam ſeſe diſſolventis fruſtra. Fermè opinor, has Aquas calculorum inhibere incrementum, quatenus materiem ſecum trahant, cujus ope, (ut ita dicam), inter ſe cœmentantur. Silentio tranſire nequeo hoc in caſu egregiam *Saponis* Veneti virtutem.

OBSERVATIO XII.

De Calculo Veſicæ ſelleæ, & Hepatis Abſceſſu.

§. 1. Vir Spadanus quadraginta quatuor annorum, Colicis ſæpe Ictero ſociatis obnoxius erat abhinc decem annis & ultra. Urinæ erant croceæ, & quandoque fuſcæ cum ſedimento copioſo, & rubicundo. Dolorem ſurdum & ſtabilem in inferiore & media Hepatis regione ſentiebat. Calculum vel Bilem inſpiſſatam eſſe in Veſica fellea accuſavi. Mihi tamen credere noluit

luit, ſed plusquam viginti conſuluit Medicos, qui ſinguli ſecundum proprium ſuum Syſtema hunc fruſtra tractarunt. Tandem crebrioribus excruciatus Colicis ad me refugit. Propinavi huic quotidie circiter drachmas duas Saponis Veneti, & decem Aquæ *Savenirinii* pocula per tres conſequentes menſes hauſit, imo tempore hiberno quibus adminiculis lapidem ovalem, politum, levemque, nucis moſchatæ mediocris magnitudine, non ſine dolore alvo excrevit, qui bilis petrificata apparebat; hujus unam extremitatem cohæſiſſe cum alio calculo videbatur.

§. 2. Similem fere caſum D. mihi retuliſti. Elapſis octo annis, mulier Leidenſis, triginta duos annos nata a peritiſſimis Medicis tractabatur, qui infinita pharmaca præſcripſerunt contra Colicam Stomachachalem atrociſſimam, ſed in caſſum: hâc per plures ſine intermiſſione menſes vexata fuit. Icterus non aderat; propterea falſi ſunt Medici. Inſuper Diarrhœa cruenta ſupervenit hyemali tempore, & morbum conclamatum eſſe dicebatur. Interim ne-

ſcio cujus Alchemiſtæ Galli conſilio paruit, qui Aquæ frigidæ potum commendavit contra hanc diarrhœam, cujus ope roborabatur paululum; minorem enim ſanguinis copiam alvo evacuabat. Metu Hydropis abſtinendum eſſe ab Aquâ, ſuaſiſti. Contra, *Pouhontium* commendaſti, quem, perlubentibus ejus Medicis, potavit. Statim, verno tempore lagenam omni manè cepit, & cum corporis robur increſceret, binas potavit lagenas Spadanas quotidie, interim exercitio convenienti, victuque utebatur. Excreuit alvo plusquam trecentos parvos calculos variæ figuræ per aliquot tempus. Erant ſublutei, poſtea hos in pulverem redactos reddidit. Penitus inde convaluit. Bibit, ni fallor, centum & quadraginta lagenas. Menſes diu poſt curationem ſuppreſſi erant, ſuaſiſti, ut hos naturæ committeret, & optima diæta uteretur, quo modò intra ſemeſtre reſtituti ſunt ſpatium.

§. 3. Nobilem Hybernum circiter ſexagenarium *Spadam* miſerant Medici Angli initio

initio Octobris, ut Aquas potaret ſpatio unius, binorumve annorum, ſi neceſſitas indicaret. Debilis, incurvatusque erat, omnes faſtidiens cibos, & Colica cum Febre, & Ictero anno præcedenti bis affectus fuerat. Suſpicabantur calculum in Veſica fellea. Ex præſcriptione Medici Angli *Pouhontium* ſtatim potavit. Huic ſatis per ſex hebdomadas profuit. Cum Medicus ille Spada diſceſſiſſet, rediit appetitus, corroborabatur usque adeo, ut ſolus in cubiculo ambulare valeret. Juſſi, ut potum *Pouhontii* continuaret: quem tamen dein recuſavit. Quo comperto, hunc inviſere deſtiti. Octo vel decem diebus elapſis, denuo ab eo fui accerſitus: per ſex dies Aquas non potaverat, quas iterum aſſumere in animo fuit, ut appetitus excitaretur deletus. Ante triduum ſemiunciam *Salis Bohemici* adhibuerat, unde quindecim vel ſedecim dejectiones excitatæ fuêre: poſt cujus uſum quotidie ſexies vel ſepties ad ejus obitum usque alvum exonerabat. Ex ejus morbi ſymptomatibus, Hepar Apoſte-

ſtemate affectum eſſe angurabar. Opinionem meam Amico hunc concomitanti communicaveram & cum D. *Sohan* (*) in conſilium vocatus fueram. Peritiſſimus ille Medicus mecum ſenſit hunc affectum eſſe incurabilem; inviſimus ægrotum, donec moreretur. Aperto ejus cadavere, coram Amico, omnibusque ejus familiaribus, reperi ſeptem calculos in fellis veſica magnitudine parvi phaſeoli, ſimulque abſceſſum in ſuperiore hujus viſceris parte, qui ligamentum latum computruerat: continebat hic ad minimum ſex puris fœtidiſſimi libras. Audivi ex D. *Chrouët* veſtro Avunculo, ſe multoties expertum fuiſſe, uſu *Pouhontii* apoſtema Hepatis partim ore, partim alvo excretum fuiſſe: ægrotosque hoc modo planè ſanatos fuiſſe.

(*) qui obiit 1748.

OBSERVATIO XIII.

De Abſceſſibus, Ulceribus in Renibus, Ureteribus, & in Collo Veſicæ.

§. I. Nobilis vir octodecim circiter annos agens, poſt varias Aquas minerales in *Britannia* epotas in caſſum, contra Colicam violentiſſimam, nephriticam, frequentiſſimam, qua ab ineunte vexabatur ætate, planè incurvatus, ab ejus Medicis *Spadam* fuit miſſus. Tantis cœpit excruciari doloribus paulò poſt noſtrarum Aquarum per affectum Renem transeuntium potum, ut cultro vulnerari videretur. Cum urinis una excrevit pus, ſanguinem coagulatum, membranas, pituitam, & copioſiſſimum ſabulum per ſex ferè ſubſequentes menſes: ſenſim mutabatur lotium, tandemque nihil cum hoc præter arenam evacuabat per plures annos, quibus noſtris uſus eſt Fontibus: unde æger conjiciebat, morbum deberi lapidi noſtris diſſoluto Aquis. Probabilius tamen eſt ab Abſceſſu ortum duxiſſe. Adeo conſtanter Aquas potavit Spada-

nas, ut tandem malum hoc omnino ſuperaverit.

§. 2. Homo ſexagenarius, & alter triginta quinque annos natus in ureterum medio ulcus habebant, a plurimorum calculorum tranſitu generatum, quibus Colicis nephriticis ſæpe numero fuerant torti. Copioſum pus cum urinis quotidie expellebant ſub Aquæ *Savenirinii* & *Poubontii* potu, quas his commendaveram, plures calculos cum lotio minxerant longè facilius quam ante. Ille intra duos menſes de morbo triumphavit. Hic verò intra biennium; quo tempore tam *Spadæ*, quam in patria Aquas noſtras adhibuit.

§. 3. Homo quadragenarius, qui Vino, ejusque ſpiritui nimis indulſerat, iſchuria affectus fuit cum Partium Genitalium intumeſcentia & inflammatione. Parum ſimul in morbi Acceſſu mingebat, & quandoque ſanguinem, & denique pituitarum ſat abundantem excretionem. In lotii fundo erat pus: Urinam ſemper cum difficultate reddebat. Quotannis Aquas *Savènirinii*, &

Pou-

Pouhontii potabat, harumque ſine intermiſſione uſu nullum ſentiebat malum per ſex fere menſes, licet nullum mutaret victum. Aperto ejus cadavere vidi meum errorem: morbum enim adſcripſeram Calculo Veſicæ. Iſchuria quoad faciem gangrænam Partium fecerat Genitalium, & mors intra paucos dies ſubſecuta fuerat, omnibus fruſtra a peritioribus Practicis, & a me uſurpatis. Veſica urinaria fere vacua erat, & adeo firmiter Peritonæo annexa ut impoſſibilis ejus videretur contractio. ejus denſitas erat immenſa, tanquam ſemicalloſa. Ureter prope Veſicam calloſus, & adeo anguſtus, ut extremitatem gallinæ plumæ admittere nequiret: quo a me fiſſo, deprehendi ulcuſculum, unde pus expreſſi.

OBSERVATIO XIV.

De Cephalalgiis, Vertiginibus, Tremoribus, Contractionibus Spaſmodicis Digitorum, Labiorum, Genarum, Palpebrarum & capitis Verticis.

Sæpe vidi hos affectus noſtris Aquis de-

bellatos. Plerumque Capitis dolores curantur *Pouhontio*. Cæteri autem morbi *Pouhontio* partim, partim *Geronſterinio* vincuntur.

OBSERVATIO XV.

De Epilepſia.

§. 1. Binas Matronas ex hoc affectu vidi convaluiſſe ope Fontis *Geronſterinii*. Prima viginti octo erat annorum, ab hinc pluribus annis crebrioribus obnoxia fuerat epilepticis inſultibus, qui, cum huc venerit, in trium minutarum leipothymiam degeneraverant, qua uno die plusquam trigeſies afficiebatur. Erat valde macra, & pallidiſſima. Dum animo linqueretur, oculos claudebat, inclinabatur caput in humero, licet vacuæ eſſent manus, attamen pollices inter digitos conſtringebat; Quidquid manibus tenebat, ab ea non laxabatur. Ex animi deliquio excitabatur tribus ſuſpiriis, & ilico continuabat ſermonem vel laborem, quem abripuerat paroxysmus epilepticus. Nec memoriam, nec judicium præteriti habebat. Decem elapſis diebus, quin-

quies

quies vel ſexies poſt meridiem tantum his acceſſibus corripiebatur; poſt quindecim dies ſemel morbo caduco vexabatur, quem Veſicatorium a me præſcriptum, Nuchæ applicatum ſc. generaverat, ut fluxionem ab oculis averterem, menſis ſpatio noſtras aquas hauſit, valdeque contenta in patriam rediit.

§. 2. Altera Matrona viginti annorum, ab hinc biennium Viro nupſerat. Corripiebatur duobus epilepticis inſultibus omni hebdomada. Cæterum adeo firma fruebatur valetudine, ut nullus Medicus ejus mali cauſam detegere valeret. Decem ſeptimanarum tractu Aquam *Geronſterinii* potavit: interim nullo hujus herculei morbi acceſſu tentata fuit. *Spadâ* proficiſcebatur quadraginta diebus gravida, nunquam antea uterum geſſerat. Ante diſceſſum V. S. ſatis copioſam inſtĭtueram, ut præcaveretur Abortus, qui tamen contigit paucis diebus elapſis poſt reditum in *Hollandiam*, unde incidit iterum in ejus Morbum Comitialem; hic autem rurſus evanuit ſubſecuta altera imprægnatione. De ea poſtea nihil comperi.

OB-

OBSERVATIO XVI.

De Vomitu.

§. 1. Plus quam centum homines vidi a vomitu liberatos Aquâ *Geronſterinii.* Anglus acidum inſtar aceti vomens, & quidquid aſſumeret horâ poſt prandium ſæpe ore rejiciens, nullum inde, nec de medicamentis opportunis levamen ſenſit. Omnes Britanni Medici venas Ventriculi fuiſſe varicoſas conjectabant vel hujus calloſitatem accuſabant.

§. 2. Domicella Anglica viginti novem annos nata, abhinc biennium, quotidie crebro quidquid caperet, revomebat. In caſſum omnia adhibuit remedia, antequam *Spadam* ſe contulerit. Macie torrida erat, cum tuſſi ſicca, & frequenti, dyſpnœâ, pedibus capta, etenim nonniſi mediantibus famulis incedere poterat: Febre lenta corripiebatur. Medici ejus deploratum morbum eſſe autumabant. Bono eſſe animo ſuaſi. Statim huic quietem commendavi. Secundo adventus die præſcripſi

ipſi

ipſi quatuor vel quinque parva pocula potanda Aquæ *Geronſterinii* in lecto, quam non rejecit, ſenſimque doſin auxi. Potu primi menſis non magis vomuit quam bis terve omni ſeptimana, raroque ſanguinem. Adeo corroborabatur, ut ſola in cubiculo ambulare poſſet. Subſequentibus duobus menſibus ferè idém ſucceſſus fuit, niſi quod vomitus, ſputumque cruentum ceſſaverant, (nam ante ejus adventum, quotidie ſanguinem revomebat, exſpuebatque coccineum, & liquidum). Vires accrevere magis magisque, & febris lenta ſummopere declinavit. Per hos ultimos ambos menſes Aquas bibit cum tertia lactis parte, & in lecto duæ parvæ V.S. factæ fuêre. Huic quoque identidem pulverem Rhei præſcripſi & veſperi *liquoris mineralis anodyni Fred. Hoffmanni* viginti guttas in Aquæ frigidæ poculo: egregium medicamentum in Hæmoptyſi, & in Fluore Uterino! Menſe quarto ab ipſo *Geronſterinii* fonte Aquam hauſit, optimo cum emolumento. Quo menſe penitus convaluit,

&

& corpulenta valde evaſit. Antequam *Spadâ* abſcederet, illuc & in viciniis ſine ulla ferè moleſtia ambulabat. Biennio elapſo poſt hanc vidi ſaniſſimam: *Spadam* venerat, *ut Matronam ſocietatis gratia concomitaretur, & Fonti Geronſterinio debitum referret honorem*, ut mihi retulit.

OBSERVATIO XVII.

De Alvi Fluore.

Plures Lienterias & Cœliacas paſſiones ab Aquis Geronſterinii ſanatas vidi, & a *Pouhontii* Diarrhœas bilioſas: Binos Dyſentericos noſco a *Savenirinio* curatos, quem tamen Fontem nunquam hoc in caſu ſuaderem.

OBSERVATIO XVIII.

De Alvi Conſtrictione.

Sæpe numero occurrunt hîc homines quotannis tantùm de alvo dura conquerentes, adeo ut catharticis vel clyſteribus laxari cogantur. Plurimi curati ſunt Aquæ

Wa-

Watroz potu. A. *Pouhontio* & *Savenirinio* ſanatos vidi. Britannam Matronam ſexagenariam tractavi, quæ diu tribus his Fontibus in caſſum eſt uſa.

OBSERVATIO XIX.

De Morbis Pectoris.

Aſthmaticis hic vidi *Geronſterinii* Aquam profuiſſe. Quatuor novi curatos: & duos, qui hanc in caſſum potarunt. Tuſſes inveteratas ſcio debellatas hoc modo fuiſſe, quæ a debiliſimo & pituitoſo oriebantur pectore. Quæ Aquæ ad inſtar expectorantium agebant. Ruſtici Spadani Peripneumonia notha hyeme correpti *Geronſterinio* curantur fonte. Sex homines frequenti affecti tuſſi, cum ſubſecuta Hæmoptyſi tractavi. Horum quinque mihi erat explorata curatio *Geronſterinii* ope cum lacte epoti. Antea quæ pus referebant, reddebant ſputa, macilenti erant, pulſus ſemper parum concitatus ad minimum motum: facile in lecto ſudabant, aſthmatici

valde

valde erant, & dolorem ſurdum, continuum & gravativum in pectore ſentiebant. Sextus *Spadâ* proficiſcebatur ſine tuſſi, cum ſurdo dolore in pectoris fundo, pulſus erat tranquillus. His equitationem, & lacticinia commendavi. In caſſum vidi fontem hunc præſcriptum fuiſſe duabus Domicellis, & Viro, qui dein interierunt. In omnibus hiſce caſibus conſilia *Britannorum*, *Gallorum*, & *Germanorum* ſecutus ſum auctorum, & præprimis illuſtriſſimum imitatus ſum *Fred. Hoffmannum*, qui Aquarum mineralium connubium cum tertia lactis parte laudat, ferè tanquam *Antiphthiſicum*. Sæpiſſime cum celeberrimo D. *Sohan* de harum Aquarum efficacia hoc in morbo diſſerui. Hic Medicus, qui jam dudum omnes Spadanas perfectiſſimè callet Aquas, me certiorem fecit, ſe raró ſalutares *Geronſterinii* effectus deprehendiſſe hiſce in caſibus. Contrà, expertus eſt magis magisque illius Aquæ virtutem hîc ſuſpectam eſſe.

OBSERVATIO XX.
De Affectu Hypochondriaco.

Sanatio hujus mali adeo crebra hic eſt, ut illam prætercam. Tantum declarabo Tibi, nullos Fontes Spadanos *Pouhontio* efficaciores eſſe, ut hic radicitus extirpetur, modo conſtanter uſurpetur. Nobilem noſco hypochondriacum, qui *Pouhontium* potavit per quinque ſine intermiſſione annos, & *Spadæ* quotannis per quatuor menſes hoc utebatur. Quâ imitandâ perſeverantiâ de morbo illo triumphavit.

OBSERVATIO XXI.
De Febribus Intermittentibus.

Zeelandiæ, *Hollandiæque* Anomalas Febres Intermittentes *Pouhontio* & *Savenirinio* curavi, & cum amaris Extractis. Quæ adeo inveteratæ erant, ut ægroti inde extenuarentur ſummoperè. Quo modo Tertianas & Quartanas, quæ per biennium duraverant, ſuſtuli quoque.

Vidi *Spadæ* Nobilem Juvenem novem-

decim annorum, & alium viginti ſex, Febris intentione per quinque ſubſequentes dies vexatos. Quæ dein per decem intermiſit dies; quo tempore ſatis recte valebant. Ante adventum infinita adhibuerant fruſtrà medicamenta. Ille penitus convaluit intra ſex ſeptimanas potu *Saveninii*: ab hinc quinquennium non febricitavit. Hic per tres menſes eundem bibit fontem optimo cum ſucceſſu elapſo poſt anno alia febre mortuus eſt. Ceciderat enim in Aquam hyeme illa acerbiſſima anni 1740. unde corripiebatur Febre calida lethali, ut ab ejus Populari habeo.

OBSERVATIO XXII.

De Vermibus.

Non raro *Spadæ* ſpectantur caſus, ubi varii vermes potu noſtrarum mineralium fontium alvo evacuantur.

§. 1. Homo quadragenarius *Pouhontium* voluptatis gratia potans alvo excrevit lumbricum latum decem ulnarum & ultra longitudine.

§. 2.

§. 2. Alter triginta annorum dejecit alium lumbricum multo longiorem ope *Geronſterinii* Aquæ, quam eundem in ſcopum capiebat

§. 3. Nobilis Helvetus novemdecim annos natus, miſſus huc fuit a celeberrimo D. D. *van Swieten*, cujus remediorum auxilio, bis plures lumbrici lati ulnas alvo exoneraverat, cui ejus familia obnoxia erat. *Geronſterinium* & *Pouhontium* potavit in caſſum per ſex hebdomadas, licet hoc animali valde excruciaretur, ne fruſtulum excrevit.

Enemata ex ſola *Pouhontii* aqua confecta occidunt, & expellunt Aſcarides. Quæ mihi ſemper hoc in caſu profuêre. Nec mirum! Omnia enim Inſecta, Ranæ, Piſcesque nunquam noſtros attingunt Fontes. Contra ab his ſe removent ſollicitè; occidunt enim in his.

In noſtra vicinia reperiuntur plures minerales ſcatebræ, quæ inſtar *Pouhontii* ſapiunt, & pro genuino *Pouhontio* quandoque viliori pretio venduntur præprimis in *Hol-*

landia. In hiſce vidi ſæpe inſecta natantia, unde noſtris Aquis longe minus minerales, & propterea multo minus ſalubres exiſtunt.

OBSERVATIO XXIII.

De Hæmorrhoidibus.

Quamquam Hæmorrhoides abſolutè Aquis noſtris curatas nunquam viderim: attamen aſſerere poſſum, harum potum magnum illis attuliſſe levamen. Non mirandum eſt ergo, ſi quotannis plurimi Hæmorrhoidibus obnoxii *Spadam* veniant.

Pouhontius nimiam ſanguinis jacturam temperat, doloresque hiſce Hæmorrhagiis cauſatas ſedat. *Geronſterinio* in diſpoſitis excitatur harum fluxus, vel ſuppreſſus reſuſcitatur.

Conſanguineum habeo, qui omni menſe magnum ſanguinis diſpendium per hæmorrhoides facit: quæ ſuppreſſæ *Geronſterinio* excitantur, quem per quinque vel ſex dies potat. Qui ipſi ſemper per plures annos profuit.

OBSERVATIO XXIV.
De Morbis Sexus Sequioris.

Spadæ ſæpiſſime accidit ſuppreſſa menſtrua *Geronſterinio* curata fuiſſe: hæcque nimis diu retardata, absque phlebotomia, & emmenagogis promota fuiſſe.

Si primæ viæ acido ſcatent; aut ſi Ventriculus ferendæ quantitati Aquæ definitæ pro morbi ſanatione eſt impar, tunc præſcribo meum *Extractum* Aquarum Spadanarum, aut quasdam alias leves tincturas martiales ex primo poculo ſumendas Aquæ Spadanæ.

§. 1 Domicellæ viginti ſex annorum, ſatis ſanæ, cujus facies pluribus puſtulis fœdabatur, oriundis ex menſibus longè minus debito fluentibus, præſcripſi *Geronſterinii* Aquam: unde *Boblini* (*e*) plurimi mirabantur, quia hic Fons ſanguinem calefaciebat per ſe nimis calefactum. Contigit quod prædixeram omnibus adſtantibus. Spa-

(*e*) *Boblins*, ſic vocant Leodienſes Spadanarum Aquarum potatores.

Spatio duorum cum dimidio menſium *Spadæ* manſit. Interim hiſce Aquis menſes copioſè provocati ſunt, puſtulæque faciei ſimul evanuerunt.

Mihi ſcripſiſti, *Vir Nobiliſſime*, noſtrum *Batavum Hippocratem Boerhaavium*, Domicellis, quarum vultus plurimis puſtulis cum rubore fœdabatur præſcripſiſſe *Pouhontium*, quo omnes diſſipabantur. Hæ Aquæ tam potu, quam enemate non minus efficaces ſunt in menſium exceſſu, quam in fluore Uterino ſanguinis.

§. 2. Ferè omnes Chloroſes *Geronſterinio* curantur. Leucoream tollit *Savenirinius*, aut ſaltem multum minuit. Idem efficit *Pouhontius*, cujus Aquæ ter omni die in Matricem injiciuntur. Infrequentes occurrunt caſus, ubi *Geronſterinius* huic malo inſervire poteſt. Sex tantum novi ægrotantes, quæ *Savenirinio* & *Pouhontio* convaluerunt ex hoc morbo, qui, confitentibus omnibus peritiſſimis Practicis, valde contumax eſt: quæ per biennium & ſemeſtre, tam *Spadæ*, quam domi, aſſiduè Aquas po-

ta-

tarunt, nec injectiones omiſerunt. Aliæ nullo modo levatæ ſunt, quia tantum per quinque, vel ad ſummum, ſex ſeptimanas has biberunt, falſò ſibi perſuadentes, hoc tempus ad debellandum morbum ſat ſufficere.

In Cachexia egregié operantur noſtri Fontes, quorum delectus fit ratione idioſyncraſiæ, & morbi magnitudinis.

Prophylacticum pharmacum eſt *Pouhontius* in fœminis abortui obnoxiis, & imo in gravidis. Quæ non ſunt inprægnatæ, corroborantur hîc adeo *Geronſterinio* & *Pouhontii* injectione in Matricem, ut recidivam non amplius patiantur: ut ex binis ſequentibus patebit obſervationibus.

§. 3. Illuſtriſſima Matrona triginta ſex annorum a Famigeratiſſimo noſtro Profeſſore *Boerhaavio* mihi commendabatur. Juvencula nupta fuerat; pluresque robuſtos pepererat infantes. Abhinc multis annis ſæpe numero abortiebat circa quintum & ſeptimum graviditatis menſem, omnesque ejus infantes mortui erant. Huc venit ſe-

cundo circiter imprægnationis menſe. Suaſi, ut mane *Poubontii* circiter ſexaginta uncias cum parvis poculis potaret per ſeptem hebdomadas. Bis phlebotomia inſtituta fuit. Carnes pullorum, vitulinas aſſas, ferinasque comedendas præſcripſi: Vinaque *Gallis Hermitage*, & *Pontac* cum Aqua *Poubontii* mixta potanda.

Contenta hinc diſceſſit, & ad tempus feliciter parturivit, ſed infans aliquot poſt nativitatem horis obiit.

§. 4. Matrona viginti quinque annorum abhinc triennium connubio juncta, intra cujus tempus ſemel & vicies abortum erat paſſa una cum magnis ſanguinis Uterinis fluoribus, huc pallidiſſima venit. Pectore infirmo, & anorexia laborabat, nec incedere poterat propter magnam corporis debilitatem. Rhei pulverem a me præſcriptum repetiit, dum *Spadæ* fuit; ubi manſit per triginta dies. *Geronſterinium*, quem commendaveram, tanto cum emolumento cepit, ut quinto die cibos maximè appeteret. Vultus ejus paulo vividior evaſit. Adeo

eo roborabatur, ut ſine magno labore per noſtros montes deambulare poſſet. Corpulenta hinc abſceſſit, ſine dyſpnœa, ſanus erat habitus, & optimus appetitus. Decem poſt diſceſſum elapſis menſibus, maſculum peperit, qui cum matre nunc rectè valet. Aliquoties feliciter poſtea partum enixa eſt, ut ab illius comperi litteris, quas mihi ſcripſit.

Aquarum noſtrarum potum mulieres ſteriles gravidaſſe ſæpe vidi.

§. 5. Matrona viginti quinque annorum, ſaniſſima, & corpulenta valde erat: propter ſterilitatem per ſex ſeptimanas *Geronſterinium* potavit, annoque ſequenti maſculum peperit, qui ad annum vixit. Per triennium uterum non geſſit, propterea Spadam ſe contulit, & Aquas ut antea potavit, & anno ſubſequente parturivit puellam, quæ adhuc animam ducit. Per quadriennium non imprægnata fuit. Quamobrem ad Fontem Spadanum tanquam ad ſacram anchoram refugit, peperitque tertia & ultima vice maſculum, qui aliquot

menſibus poſt nativitatem deceſſit. Plures tractavi Matronas, quarum temperies erat valde humida, quæ plerumque ſteriles manent. Hiſce conduxiſſe *Geronſterinium*, nec non *Poubontii* in matricem injectionem, ſæpiſſimæ obſervavi, matutino ſcilicet & veſpertino tempore.

Noſtræ Aquæ Martiales ſæpè ſunt præſtantiſſimæ Antihyſtericæ: ſed conſtantiâ opus eſt, ut olim inculcavit celeberrimus *Ab Heers*. Cæterum ſciant Medici, Fontem *Savenirinium* & *Poubontium* plerumque hominibus plethoricis, calidisque, quibus Spiritus vitales ſunt valde mobiles, vel Cephalalgiæ obnoxiis, magis prodeſſe, quam *Geronſterinium*. Hic autem Fons majori cum fructu adhibetur, quam bini priores, a corporibus pallidis, pituitoſis, ad motus convulſivos & leipothymias proclivibus.

F I N I S.

CATALOGUS
LIBRORUM.
MEDICORUM

Quos CORN. DE PECKER, *Bibliopola Leidenſis ipſe imprimendos curaverunt vel maximam partem ſibi comparaverunt.*

Aretei Cappadocis de cauſis & ſignis Acutorum & Diuturnorum Morborum, de Curatione Acutorum & Diuturnorum Morborum, cum Comm. Integris P. Petiti Med. Pariſ. atque Clariſſ. J. Wiggani doctis & Laborioſis Notis & Celeberrimi Maittarii Opuſculis in eundem, tamdemque Erudit. atque Celebrat. D. W. Trillerii Obſerv. & Emendatis Edit. Curavit. Herm. Boerhaven in fol. Gr. & Lat. L. B. 1735

Anonymi introductio Anatomica Gr. & Lat. item Hypatus de partibus Corporis Gr. & Lat. cur. Dan. Wilh. Trilleri & J. S. Bernard, cum fig. 8vo.

Aanmerkinge over de Geneesmiddelen waar in het goed en kwaad gebruik van de voornaamſte Hulpmiddelen die hedendaags gebruikt worden aangetoont word door Rudolphus Zaf/ 8vo. Leide 1746

Boerhaave (Herm.) Praxis Medica ſive Comment. in Aphoriſmos de Cognoſcend. & Curand. Morbis 5 vol. Ult. 1745. 8vo.

——— ——— Introductio in Praxin Clinicam, 4to. L. B. 1740

——— ——— Conſultationes Medicæ ſive Sylloge Epiſtolarum cum Reſponſis, Hagæ 1743

——— ——— de Lue Venerea, L. B. 1751. 8vo.

——— ——— Materia Medicæ & Remediorum formulis, ibid. 1740. 8vo.

——— ——— de Mercurio Exper. 8vo. Ultr. 1735

Bar-

Bartolini Epiſtolæ Medicinalium, 5 vol. 8vo.

Cocchii, (A. C.) Diſſertatio Phyſico Practica continens vindicias corticis Peruviani, 8vo. L. B. 1750

Caſe (J.) Compendium Anatomicum nova Methodo inſtitutum, cum fig. 12mo.

Caſtelli Lexicon Medicum, 4to. Gr. & Lat. Gen. 1746

Cheſneau Obſervat. Medicarum, 4to. L. B. 1743

Demetrii Pepagomeni Liber de Podagra Græce & Lat. quem ope MSS. Bibl.othecæ Lugduno - Batavæ recenſuit & notis illuſtravit Jo. Steph. Bernard. 8vo.

Diſſertation faite ſur la Queſtion Phyſique propoſe 1739. par l'Academie des Sciences a Bourdeaux, quelle ſoit la cauſə de la fertilité des Terres, & ayant remporte le prix, aſſigné d'une Medaille d'Or, publice, par Jean Adam Kulbel, 4to.

—— *Phyſique ſur la Force de l'Imagination des Femmes incaintes ſur le Fætus, par Blondel*, 8vo. 1737

Diſcours ſur la Structure des Fleurs, par H. Boerhave, Vaillant 4to.

Douglas (Jac.) Bibliographiæ Anatomicæ Specimen ſive Catalogus Omnium Pene Auctorum qui ab Hipp. ad Harveum Rem Anatomicam ex Profeſſo, vel obiter Scriptis Illuſtrarunt, &c. 1734. 8vo.

Diſſertation ſur la Perfection du monde Corporel & intelligent ou l'on démontre en détail le merveilleux Méchaniſme par lequel Dieu a voulu que les eſpéces des Hommes, des Animaux, & des Plantes ſe perpêtuaſſent, pendant un tems determiné. L'on y refute auſſi le Syſteme des Natures plaſtiques, renouvellé par Cudworth & quelques autres Auteurs modernes; l'on recherche les fins que Dieu a eu en vue en créant le Monde, & en fin l'on expoſe les raiſons, jusqu'à preſent peu tonnaes, tant du Mal Phyſique que du Mal Moral. par. W. G. Muys, Profeſſeur & Medicine & Math. dans l'Univerſité de Franequer., L. B. 1750

Duverny Tract. de Organo Auditus in 4to. cum fig. L. B. 1730

—— *Traité de l'Organe & de l'Ouie avec fig.* 12mo. *L. B.* 1731

Du-

Duverny van alle de Deelen van 't Gehoor en deszelfs Ziektens en Genezing/ in 8vo. met platen. 1723

Diſſertation Phyſique Concernant la Cauſe de la Variation du Barometre, la Forme du Globe de la Terre, la Diminution des Graves, & le Flux & Reflux de la Mer par Docteur s'Dury, 8vo. à Leide 1719

De Core Elemens des ſciences Principales qui ſont la Metaphyſique la Logique & les Math. Univerſelles Mis a la Portée de tout les Monde, par demandes & Reſponſes in 8vo. à Leide 1749

Effigies de Gorter Leuwenhoekii Dalei & Hippocrates.

Euſtachius (B.) de plethora ſive multitudine, 8vo.

Freind (Joh.) Opera Omnia, 5 tom. 3 vol. quibus continentur.

—— Prælectiones Chymicæ, & alia Opuſcula, 8vo. L. B. 1750

—— Emmenologia in quæ fluxus muliebris menſtrui Phænomena, periodi, vitia, cum medendi methodo ad rationes mechanicas exiguntur, 8vo. L. B. 1750

—— Commentarii novem de Febribus ad Hippocratem de morbis Popularibus, 8vo. L. B. 1750

—— de Purgantibus in ſecunda Variolarum Confluentium Febre, 8vo. L. B. 1750

—— Hiſtoria Medicinæ a Galeni Tempore usq. ad initium Sæculi Decimi Sexti, 8vo. L. B. 1750

Faſciculus Diſſert. Medicarum quarum 1ma de Tutonica Choroidea Auct. L. Heyſter. 2da. de Febrium intermittentium cauſa, A.C.Linnæo. 3tia. de Naturali Fœtus in utero materno ſitu, A. J. Onymos. 4ta. de Cauſa Voces cordis alternas producente, A. Abrah. Ens, 8vo.

Fabricii Opera Anat. & Chirurgica, cum Præfat. B. S. Albini, 2 vol. fol. L. B. 1723

G. J. 's Graveſande Phyſica Elementa Mathematicis, ſive Introd. ad Philoſoph. Newtonianam Experiment. 2 vol. 4to. 1742. cum fig.

—— —— *Elemens de Phyſique ou Introduction a la Philoſophie Newtonienne traduit du Latin par Monſr. le Proff. Elie de Joncourt, 2 vol. 4to. à Leide 1746*

G. J.

G. J. 's Graveſande Philoſophiæ Newtonianæ Inſtit Edit. Nov. & Aucta, cum fig. 2 vol. 8vo. 1743

G. 's Graveſande Wiskundige Grondbeginſelen der Natuurkunde / door ondervindinge geſtaaft / met veele kopere ploten / in 4to. 1741

Gaubii Oratio de Vita Longa, 4to. 1734

Gorter (J. de) Medicina Dogmatice tres morbos particulares delirium vertiginem & tuſſim Aphoriſticæ conſcriptos & coram auditoribus ſuis ante aliquot annos commentariis Illuſtratos pro ſpecimine exhibens, accedit oratio pro Medico Dogmatico, 4to. Hard. 1741

—— —— de Perſpiratione Inſenſibili, 4to. L. B. 1736

—— —— in Aphorismis Medicinæ Hippocratica, 2 vol. 4to. Amſt. 1739

—— —— Exercitationes Quatuor. 4to.

Harvei Opera Omnia Cont. de ſecretione Animalium & de Motu Cordis cum præf. S. B. Albini, 2 vol. 4to. L. B.

Hugenii Opera varia 4 tomi 2 vol. Conten Opera Mechanica Geometrica Aſtronomica & Opera Miſcellanea cura Proff G. J. 's Graveſande, cum fig. L. B. 1751

Hiſtoire de la Medicine de puis Galien, jusqu' au XVI. Siecle, par J. Freindt, 4to. 1727

—— *le Meme Livre, 3 vol. 12mo.* 1727

Kulbel (Joh. Adami) Diſſertatio Phyſica de cauſa fertilitatis terrarum, 4to.

Kock (C. A.) Affectus in Libris & Praxi Rariſſimus ab H. Boerhaave in Noſocom. L. B. Sanatus cum fig. 4to.

Lanciſius de Motu cordis & Aneurismatibus, cum fig. 4to.

Muys (Guil.) inveſtigatio Fabricæ, quæ in Partibus Muſculos componentibus Exſtat. Diſſertat. de Carnis Muſculoſæ Fibrarumque Carnearum Structura, quatenus ſine vaſis Sanguiferis, Nervis, Nervoſisque Villis, atque Membranis Spectantur, cum fig. 4to. 1741

Mead (R.) Mechanica expoſitio venenorum, ejusdem Diſſ. de Imperio Solis ac Lunæ in corporis humana & morbis inde oriundis, cum fig. 8vo. Lugd. Bat. 1750

Monro (Alex.) Tentamina circa methodum injiciendi ex Anglico idiomate verſa a Joh. Chriſt. Fried. Bonegarde, qui & addidit figuram Siphonis emendati a N. Liberkuhn, 8vo.

Ori-

Oribaſii Anatomica ex libris Galeni cum verſione Latina J. B. Raſarii cum notis & Obſervat. Gulielmo Dundas, 4to. L. B. 1735

Pachioni (Ant.) Opera Medica & Anatomica cum fig. 4to. Romæ 1741. ch. maj.

Pitcarni (Arch.) Diſſertationes Medicæ Subjuncta eſt Th. Boeti ad Arch. Pitcarnium Epiſtola, 4to. Edinburg. 1713

Piſonis (H.) Methodus medendi acceſſit nova in ſanguinis circuitionem inquiſitio, 4to. Patavii 1726

Phile de Animalium proprietate ex prima editione Arſenii & Libro oxonienſi reſtitutus a J. C. de Pauw cum ejusdem animadverſionibus & verſione latina G. Bersmanni Gr. & Lat. 4to. Ult. 1733

Pharmacopea Leodienſis, 4to. Leodii 1741

Pott (Jo. H.) Obſervationes & Animadverſ. Chymicæ, 4to. 1741

Pſellus de Lapidum Virtutibus Gr. & Lat. cum not. Ph. J. Mauſſaci & J. S. Bernard. accedit fragmentum de colore Sanguinis & Doctrina Medica Perſarum, 8vo.

Palladii de Febribus conciſa Synopſis Gr. & Lat. cum not. J. S. Bernard, accedunt Gloſſæ chemicæ & excerpta ex Poëtis chemicis ex codice MS. Biblioth. D. Marci, 8vo.

Portius (L. A.) de Militis in caſtris Sanitate tuenda accedit J. V. Willii diſſ. de Morbis caſtrenſibus, 8vo.

Principes de la Nature ou de la Generation des Choſes par M. Colonne, 8vo. *Paris* 1731

——— *de la Nature Suivant les Opinions des Anciens Philoſophes avec un Abregée de Leurs Sentimens ſur la Compoſition des Corps*, 8vo. 2 *vol. ibid.* 1725

Proſperus Alpinii de Raphontica, 4to. cum ſig. L. B. 1718

Parenti Index de Doſibus Medicamentorum cum Præf. Gaubii, 8vo. L. B. 1751

Ridley (Henrici) Anatomia cerebri complectens ejus Mechaniſmum & Phiſiologiam, ſimulque nova quædam Inventa, cum Correctionib. aliquot Veterum ac Recentior, qui in eandem Materiam. Scripſerunt, cui Annexum eſt Examen Accuratum Functionum Animalium & motus muſcularis, cum fig. 8vo. 1725

Ridley

Ridley (Henr.) Obſervationes Medico Practicæ & Phyſiologicæ de Aſtmata & Hydrophobia, 8vo. L. B. 1750

Roncalli (Fr.) Hiſtoria Morborum Obſervat. auctæ & Clariſſ. virorum conſultationibus atque Epiſtolis Illuſtrata, folio, Brixiæ 1741

Roſetti (J. T.) Syſtema Novum Mechanico Hippocraticum de morbis fluidorum & ſolidarum ac de ſingulis ipſorum curationibus, folio, Venetiis 1734

Ramazzini de Morbis Artificum Diatriba Mutina, olim Editæ nunc accedit ſupplem. ejusdem argum. ac Diſſ. de Sacrarum virginum valetudine tuenda, 8vo. 1743

Syneſſus de Febribus, quem nunc primum ex codice MS. Bibl. Lugd. Bat. edidit, vertit, notisque inluſtravit Gr. Lat. A. J. S. Bernard. acced. Viatici Conſtant. Africano interprete Lib. VII. Pars 8vo. L. B. 1749

Santorini Obſervationes Anatomicæ, cum fig. 4to. 1739

Sanctorii Ars de Statica medicina cum Comment. Martini Liſter, accedit ſtatico maſtix Hippolyti Obicii & Sanctorii ad eum Reſponſio, 12mo.

Santorini (Jo.) Dom. Opuſcula Medica, 8vo.

Smith de Concinnandis formules, 4to. L. B. 1734

Traité Complet des Acouchemens Naturelles, non Nat. & contre Nature, avec des Reflexions ſur l'Art d'Accoucher, par Sr. de la Motte, Nouvelle Edit 4to. 1729

Vieuſſens Tractatus de Remotis & Proximis mixti ad Corp. Human. cum fig. 4to.

——— Novum Vaſorum corporis Humani Syſtemæ, in 8vo. cum fig. Amſt. 1705

Vercelloni lib. de Pudendorum Morb. & Lue Venerea Tetrabiblion, 8vo. 1732

Vaillant & H. Boerhaave de Structura Florum, 4to. 1738

——— Botanici Pariſienſis Prodromus, 8vo. 1712

Vermakelykheden omtrent de Oudheid der Heelkonſt/ geoeffent by de Hebreen / Egiptenaars/ Grieken en Romeinen/ door P. Du Pui/ in 8vo. 1733

Zaffii (Rud.) Synopſis Obſervat. Medicarum, de Select. Medicamentorum viribus. In qua repetitur Hiſtoria & Curatio Anginæ Inflammatoriæ Epidemicæ quæ graſſavit Annis 1745. & 1746. nunquam Obſervatæ accedunt Obſervat. Med. Ph. L. de Preſſeux, 8vo. L. B. 1751